IN CUMULANDIS EPITHETIS
QUAS LEGES SIBI SCRIPSERINT POETAE GRAECI MAXIME LYRICI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

ERNESTUS RICKMANN

LOHMENSIS.

CERVIMONTII

TYPIS SOCIETATIS „BOTE A. D. RIESENGEBIRGE“

MDCCCLXXXIV.

GEORGIO KAIBELIO

FRIDERICO LEONI

S

De subtilioribus legibus quibus poetarum astricta est dicendi consuetudo paululum adhuc ab iis qui veteres evolvendos sibi sumpserunt scriptores elaboratum est. Quae enim in compendiis de dictionibus poeticis leguntur et pauca sunt et nimis in universum disputata. Itaque ei qui in his rebus versatur ex variis commentationibus conquirenda sunt quae viri docti observaverunt. Una mihi quaestio usque ad hunc diem fere prorsus neglecta esse videtur, dico poetarum consuetudinem qua uni substantivo complura sine vinculo adscripserunt adiectiva. Qua de re cum fere nihil a philologis disquisitum sit, quaestio ab integro instituenda est. Neque tamen nihil valet quod iam Ernestius recte observavit bonos scriptores Latinos devitasse ne unum substantivum duo haberet adiectiva asyndeta. Hanc Ernestii observationem uberius explanavit Oudendorpius ad Suet. Ner. cp. XXXVII. Sed mirum est quod Bernhardius (wissenschaftl. Syntax der gr. Spr. p. 427 in adnotatione) fatetur Oudendorpium satis explorasse qua ratione Latini adiectiva accumulavissent. Nam quae Oudendorpius illo loco disputavit de scriptoribus dicta sunt. Sane quae illic de scriptoribus memorata sunt eadem etiam poetis licent, attamen hi multo etiam plura sibi permittunt. Plus valet quod Ruhnkenius (epist. crit. II p. 158) observavit non solere Callimachum duobus epithetis sine vinculo uti; quod probavit Meinekius ad Callim. h. in Delum v. 130. Restat ut de Hermanni (ad Lithic. 81 et in opusc. I, 112) et Elmsleii (ad Med. 807) praeceptis dicam. Qui cum quaestionem instituerent utrum veteres Graecorum poetae epitheta copula coniunxissent necne, eam professi sunt sententiam praetulisse poetas coniunctionem adiectivorum sine copula factam. Itaque concludere licet Elmsleium — nam ad eum haec maxime pertinent — putavisse perusitatum poetis fuisse adiectiva nomini substantivo adiuncta cumulare. Sed infra ad Elmsleium redibo probaturus exempla quibus sententiam suam affirmare studuit varia esse et vario modo explicanda. Apparet autem quaestionem

quam Hermannus et Elmsleius de copulandis epithetis instituerunt disceptari nequire, antequam constet quas leges poetae sibi scripserint in epithetis accumulandis. Hoc quidem mihi propositum habui ut accuratius disquirerem. Neque inutilis est quaestio, etiamsi de minutiis agi videatur; nam facio cum Hauptio pronuntiante in grammatica aut nihil magnum esse aut parvum nihil. Cognitis nimirum legibus quas poetae in hac re secuti sint multa melius intellegentur multisque in locis adiumentum nobis dabitur ad recte iudicandam lectionem traditam.

Iam vero, ut propius ad rem tractandam accedam, antiquissimi Graecorum poetae, Homerus, Hesiodus quique illorum dictionem secuti sunt magnam sibi permiserunt licentiam in epithetis *ἀσυνδέτως* coniungendis. Quoniam enim adiectiva pulchre exquisita summum versibus dare videbantur splendorem, factum est ut saepissime accumularentur epitheta. In memoriam revoco Homerica illa *ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεὺς*, *πολύτλας δῖος Ὀδυσσσεὺς*, *βοῶπις πότνια Ἥρη*, *ἠριγένεια ῥοδοδάκτυλος Ἠώς*, et quae minus frequenter occurrunt *χρυσόθρονος Ἄρτεμις ἅγνη*, *ἐν Φθίῃ ἐριβώλακι βωτιανείρῃ*, *θοῇ παρὰ νηῒ μελαίνῃ*, *θοὴν διὰ νύκτα μέλαιναν*, *νῆες ἐΐσαι ὠκυπόροι*, alia; qualia cum ubique et sine certo consilio posita legantur, satis patet Homerum in adiectivis sine vinculo coniungendis magnam sibi indulsisse licentiam. Neque minorem sibi permiserunt Hesiodus ceterique veteres Graecorum poetae epici. Sed quo artificiosior per annos facta est poesis quoque diligentiores poetae, eo magis caverunt ne in unum substantivum complura cumularentur adiectiva. Quam legem quatenus observaverint poetae Graeci maxime lyrici accuratius mihi disquirendum est. Nimirum praetermitti non poterunt tragicorum cantica, quae etiamsi nonnulla propria praebent eadem lege astricta sunt qua lyricorum qui proprie dicuntur poemata. Iam exponam qualia liceat cumulare epitheta. Nonnulla cum aperta sint cursim et breviter attingam.

Caput I.

Quae liceat in unum substantivum cumulare epitheta.

§ 1.

De epithetis, quorum alterum substantivo rei definiendae gratia adiungitur.

Constat grammaticos distinguere adiectiva subiecta h. e. quae ad rem definiendam adscribuntur, et adiectiva praedicata h. e. quae de substantivo vel potius de re quae substantivo significatur aliquid praedicant. Iam si ad substantivum cum adiectivo prioris generis coniunctum alterum additur adiectivum, exstat coniunctio verborum, a qua ne prosa quidem oratio abhorret. Sic scripsit Xenophon Anab. I, 5, 4: *πόλις ἐρήμη μεγάλη*, ubi *ἐρήμη* una cum substantivo demum efficit subiectum, cui *μεγάλη* adiungitur. Saepissime igitur leguntur duo adiectiva uni adscripta substantivo, quorum alterum est pronominale, numerale vel quodvis aliud, quod cognitioni inservit. Fusius hoc explanavit Oudendorpius l. l. Nihil habent igitur offensionis talia: Aesch. Pers. 845[1]: *πολλὰ — κακὰ ἄλγη*, ibid. 684: *νεοχμὸν ἐμβριθὲς κακὸν*, Soph. Antig. 586: *ποντίαις δυσπνόοις πνοαῖς*, Pind. P. II, 19: *πολεμίων καμάτων ἐξ ἀμαχάνων*, J. II, 3: *παιδείους — μελιγάρυας ὕμνους*, J. I, 23: *ἔν τε γυμνοῖσι σταδίοις — ἔν τ' ἀσπιδούποισιν ὁπλίταις δρόμοις*. Ubique enim alterum adiectivum necessarium neque sine sententiae detrimento omitti potest.

§ 2.

De epithetis, quorum alterum una cum substantivo quasi pro una voce est.

Ratione non multum diversa ab ea de qua modo exposuimus complura iuxta ponuntur epitheta, quorum alterum arto nexu adhaeret substantivo. Sic dixit Aeschylus Ch. 591: *δαφοινὸν δαλὸν ἥλικα*, Sophocles Ai. 241: *μέγαν ἱπποδέτην ῥυτῆρα*, Ibycus 2, 4: *φερέζυγος ἵππος ἀεθλοφόρος* cf. Alcm. 23, 48: *ἵππον ἀεθλοφόρον καναχάποδα*, Simonides: *ὁ καλλιβόας πολύχορδος αὐλός*,

---

[1]) Lyricorum locis numeros adieci Bergkii[4], Aeschyleis Euripideisque Kirchhoffii, Sophocleis Nauckii.

Pindarus O. III, 29: *χρυσοκέρων ἔλαφον θήλειαν*, Jon. 11: *αὠϊον ἀεροφοίταν ἀστέρα μείναμεν*. Sed haec aperta. Nonnulla quae operae pretium esse puto ut explicentur accuratius tractabo.

Dixit Pindarus de Hercule O. XIII, 87:

σὺν δὲ κείνῳ καί ποτ' Ἀμαζονίδων
αἰθέρος ψυχρᾶς ἀπὸ κόλπων ἐρήμων
τοξόταν βάλλων γυναικεῖον στρατόν,
καὶ Χίμαιραν . . . . . ἔπεφνον.

Manifestum est non propria sua vi legi *γυναικεῖον*; quis enim narrare poterat exercitum Amazonidum ex feminis constitisse? Itaque ne quid languidi vel potius absurdi imputemus poetae diligentissimo atque sollertissimo, arte coniungenda sunt *γυναικεῖον* et *στρατὸν* tamquam pro uno substantivo posita = Weiberheer. Hoc dici potest: der Amazonen bogenschiessendes Weiberheer, neque tamen: der Amazonen bogenschiessendes weibliches Heer. Itaque cum adiectivum *γυναικεῖον* quasi inhaereat substantivo *στρατὸν*, verba tradita nullam praebent difficultatem. Ceterum paraphrasta non videt non idem licere scriptori quod poetae; qui risum nobis movet interpretans: *ἐφόνευσε καὶ τὸν στρατὸν τὸν γυναικεῖον τῶν Ἀμαζόνων τὸν τοξότην* . . . . Similis locus exstat apud Aeschylum Agam. 104:

κύριός εἰμι θροεῖν ὅδιον κράτος αἴσιον ἀνδρῶν
ἐκτελέων,

ubi probo quod Hermannus adnotavit *ὅδιον* non idem velle atque *αἴσιον*, sed proprio significatu dixisse Aeschylum vim viatricem, quo indicaret profectionem instituentes. Itaque *ὅδιον* et *κράτος* quasi unam efficiunt notionem *στόλον*. Ratione non multum diversa dixit Aeschylus Ch. 453:

ὦ πόνος ἐγγενὴς
καὶ παράμουσος ἄτης
αἱματόεσσα πλαγά.

Nam *αἱματόεσσα* ad eum finem additum est ut moneremur de nece Agamemnonis. Neque aliter intellegenda sunt Sept. 720: *μελαμπαγὲς αἷμα φοίνιον*, altero enim adiectivo substantivum exornatur, altero accuratius definitur. Illa Euripidis Med. 108:

τί ποτ' ἐργάσεται
μεγαλόσπλαγχνος δυσκατάπαυστος
ψυχὴ δηχθεῖσα κακοῖσιν;

ita construenda sunt, ut coniunctis *μεγαλόσπλαγχνος* et *ψυχὴ* attribuatur *δυσκατάπαυστος*; neque enim intellegi potest quid sibi velit

δυσκατάπαυστος ψυχή. Plane eadem ratione alterum adiectivum substantivo arto nexu adhaeret Aesch. Ag. 1586:

οὔ φημ' ἀλύξειν ἐν δίκῃ τὸ σὸν κάρα
δημορριφεῖς, σάφ' ἴσθι, λευσίμους ἀράς.

Deinde ubi res vel personae per circumscriptionem appellantur, saepius complura occurrunt epitheta uni adiuncta substantivo. Sic dixit Simonides 37, 6: ἐν ἀτερπεῖ δούρατι χαλκεογόμφῳ = in tristi arca. Apud Pindarum P. II, 12: ὀρσοτρίαιναν εὐρυβίαν κελεύων θεόν epitheta non sunt coordinata, sed ita adhaerent substantivo ut ὀρσοτρίαιναν θεὸν = Ποσειδᾶνα exornetur adiectivo εὐρυβίαν. Item Soph. Ai. 450: ἡ Διὸς γοργῶπις ἀδάματος θεὰ non plus habet offensionis quam haberet ἀδάματος Ἀθηνᾶ. Similia scripsit Sophocles O. R. 1199: τὰν γαμψώνυχα παρθένον χρησμῳδόν = Sphinga, et Ai. 894: τὴν δουρίληπτον δύσμορον νύμφην. Talia exempla Elmsleius una cum aliis protulit probaturus veteres poetas epitheta ἀσυνδέτως coniunxisse. At nihil ex iis concludi potest, cum epitheta diversa ratione adhaereant substantivo, sicut Eurip. Phoen. 182: κεραύνιόν τε φῶς αἰθαλόεν, Eurip. El. 732: θερμᾷ φλογὶ θεοπύρῳ, Aristoph. Av. 1747: Διὸς ἄμβροτον ἔγχος πυρφόρον. Alia exempla quibus usus est Elmsleius cum alia de causa ex iis quicquam colligi nequeat infra tractabo. Saepius fit ut nominibus substantivis metaphorice usurpatis adiungantur adiectiva, quae ad propriam substantivi notionem non quadrant; adscribuntur enim, ut appareat substantivum non proprio significatu usurpatum esse, sicut Aesch. Sept. 64: βοᾷ γὰρ κῦμα χερσαῖον στρατοῦ. Nimirum nihil habet tum offensionis, si secundum additur epitheton. Sic dixit Pindarus N. VIII, 46: λάβρον . . . ὑπερεῖσαι λίθον Μουσαῖον, Euripides Med. 211: ἐφ' ἁλμυρὰν πόντου κλῇδ' ἀπέραντον, ubi temere mutavit Heathius ἀπέραντον in ἀπεράντου[2]), Phoen. 209: πλεύσασα περιρρύτων ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων Σικελίας, ubi conferri merentur Aesch. Pers. 803: ὀξυστόμους γὰρ Ζηνὸς ἀκραγεῖς κύνας γρῦπας φυλάξαι. Iam afferam locum, quem rectissime mihi emendasse videtur Bergkius; invenitur apud Stesichorum frgm. 5:

σχεδὸν ἀντιπέρας κλεινᾶς Ἐρυθείας
Ταρτησσοῦ ποταμοῦ παρὰ παγὰς ἀπείρονας ἀργυρορίζους
ἐν κευθμῶνι πέτρας.

---

[2]) hoc quoque loco usus est Elmsleius l. l.

Vidit Bergkius (in quarta Lyricorum editione) verba ita stare nequire. Nam, ut ipsius verbis utar, ‚incredibile Stesichorum adeo situs locorum imperitum fuisse, ut fontem fluvii ibi collocaret, ubi in mare effunditur.‘ Equidem etiam in eo haereo, quod fontes fluvii appellantur *ἀπείρονες;* fons enim unusquisque parvus est. Ergo emendatione opus est. Probabiliter Bergkius locum hemistichiorum *Ταρτησσοῦ ποταμοῦ* et *ἐν κευθμῶνι πέτρας* transmutavit, ut legeretur:

Ταρτησσοῦ ποταμοῦ σχεδὸν ἀντιπέρας κλεινᾶς Ἐρυθείας
ἐν κευθμῶνι πέτρας παρὰ παγὰς ἀπείρονας ἀργυρορίζους.

Sic non offendor vocabulo *ἀπείρονας*, cum iam fontes non opus sit intellegere fontes fluvii; sunt enim fontes argentei, cf. Aesch. Pers. 238: *ἀργύρου πηγή τις αὐτοῖς ἐστι, θησαυρὸς χθονός.* In duplici autem epitheto nemo haerebit, cum alterum ad definiendam vocis *παγὰς* notionem necessarium sit.

Sequitur ut de ea ratione dicam, qua complura sine vinculo cum substantivo copulantur adiectiva, quorum alterum ab eadem stirpe derivatum est, unde ipsum fluxit substantivum. Tum illud adiectivum artissime cum voce simili cohaeret. Sic apud Aeschylum Eum. 1010:

βᾶτε δόμῳ, μεγάλαι φιλότιμοι[3])
Νυκτὸς παῖδες ἄπαιδες,

quasi pro una voce sunt *παῖδες ἄπαιδες*. Similia idem composuit Aeschylus Ch. 40: *τοιὰν δὲ χάριν ἀχάριτον ἀπότροπον κακῶν κτλ.*, Eum. 677: *καὶ πόλιν νεόπτολιν τήνδ' ὑψίπυργον ἀντεπύργωσαν τότε.* Constat autem tragicos consulto verba ab eadem stirpe derivata iuxta posuisse. Sic Sophocles Phil. 534: *ὕπνος ἄϋπνος*, ibid. 848: *δῶρα ἄδωρα*, Euripides Herc. f. 1120: *πόλεμος ἀπόλεμος*, Hel. 689: *γάμος ἄγαμος*, cf. Lobeck. Aglaopham. II p. 839.

§ 3.

De epithetis cumulatis, quae substantivo rei describendae vel vere ornandae gratia adiunguntur.

Omnibus temporibus licebat poetis compluribus uti epithetis, ut rem accuratius describerent. Sic Homericum illud *δέρμα λέοντος αἴθωνος μεγάλοιο* a recentiore quoque poeta dici poterat.

---

[3]) *φιλότιμοι* participii locum obtinet = *νῦν φιλότιμοι οὖσαι.*

Cumulaverunt hac ratione epitheta e. g. Alcaeus 33: ἐλεφαντίναν λάβαν τῶ ξίφεος χρυσοδέταν ἔχων, Sophocles Antig. 430: ἔκ τ' εὐκροτήτου χαλκέας — πρόχου, Electr. 568: ἐξεκίνησεν ποδοῖν στικτὸν κεράστην ἔλαφον. Plurimum valet quod etiam poetae Alexandrini talia composuerunt, sicut Theocr. XXV, 207:

ἑτέρηφι δὲ βάκτρον
εὐπαγές, αὐτόφλοιον, ἐπηρεφέος κοτίνοιο, ἔμμητρον κτλ.

Quare nemo in talibus haerebit. Neque magis offendimur, si occurrunt epitheta iuxta posita, quibus vera rei ornatio efficitur, dummodo ad diversas spectent res. Eo enim consilio adscribuntur ut res duabus ex partibus consideretur. Nihil igitur offensionis habet, ut fingam exemplum, Μοῦσαι μελίφθογγοι ἰοπλόκαμοι, si id agitur ut re vera praedicentur Camenae; neque tamen ferendem esset Μοῦσαι μελίφθογγοι ἱμερόφωνοι.[4]) Sed ne omittam rem dignam quae commemoretur, id quoque caverunt boni poetae ne coniungerentur adiectiva, quae nimis inter se distarent. Nam quod Hauptius (observ. crit. p. 26) de adiectivis copulatis docuit, pari iure de cumulatis epithetis dici potest. Qui ad Catull. XI, 11: ‚horribilesque ultimosque Britannos‘ haec adnotavit: ‚omnino minime elegans esset horum adiectivorum coniunctio, quorum prius ad morum ferocitatem spectat, alterum regionis longinquitatem describit. Nam in apte copulandis adiectivis veteres poetae Latini multo erant diligentiores quam quidam credere videntur interpretes.‘ Permiserunt sibi boni etiam poetae rei vel personae vere exornandae gratia talia. Sapph. 65: Ῥοδοπαχέες ἄγναι Χάριτες, Alc. 55: Ἰόπλοκ' ἄγνα μελλιχόμειδε Σάπφοι, Pind. P. IX, 106: ἔβαν — μετὰ καλλίκομον μναστῆρες ἀγακλέα κούραν, frg. 82: Τὰν λιπαρὰν μὲν Αἴγυπτον ἀγχίκρημνον, frg. 198: Μελιγαθὲς ἀμβρόσιον ὕδωρ Τιλφώσσας ἀπὸ καλλικράνου.

§ 4.

De epithetis, quae substantivo ambigue dicto adiunguntur.

Optime Godofredus Hermannus (de diff. poeseos et prosae orat., opusc. I, 97) exposuit, quomodo poetae tropis uti soleant. Qui quoniam proprius poeseos est animi lusus, id maxime student ut non solum proferant quae cognitioni inserviant sed etiam

---

[4]) Itaque Bergkius et Schneidewinus Alcm. 21, 1 non debebant scriber παρθενικαὶ μελιγάρυες ἱμερόφωνοι pro ἱερόφωνοι lect. vulg.

plura, quae in quaque re praeter notionem insunt quaeque audientes vel legentes amplius persequi cogitatione possint. Quare non ut scriptores ita utuntur tropis, ut res a qua petita est translatio ad cognitionem rei ad quam adhibetur referri debeat, sed ut animus lectoris libero cogitationum lusu oblectetur. Itaque si Hectorem dicunt columen Troiae, non solum monere volunt Hectorem fortissimum atque valentissimum omnium Troianorum fuisse, sed etiam id spectant ut ad ipsam illam rem a qua petita est translatio animum attendamus. Iam vero cum in deliciis haberent poetae miscere imagines vel, ut accuratius dicam, rem vel personam metaphorice dictam cum ipsa re vel persona permiscere, factum est ut nomini substantivo adiungerentur adiectiva, quorum alterum ad ipsam rem inanimatam, alterum ad rem quae pro illa ponitur referendum esset. Non sine exquisita arte dixit Alcman in insignibus illis hymni in Dioscuros reliquiis (p. II v. 30):

Οὔτε γάρ τι πορφύρας
τόσσος κόρος, ὥστ᾽ ἀμύναι,
οὔτε ποκίλος δράκων
παγχρύσιος,

duplici enim notione ita usurpatur *δράκων* ut ad armillam (cf. Bergkii adnotationem) pertineat *παγχρύσιος*, ad animal alterum *ποικίλος*, quod creberrime cum *δράκων* coniungitur. Itaque cum suum sibi utrumque habeat officium, nemo umquam hic in duplici adiectivo offendet. Paullo aliter hoc tropo usa est Sappho 40:

Ἔρος δαὖτέ μ᾽ ὁ λυσιμέλης δονεῖ
γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον,

ubi similitudine non servata voci *ὄρπετον* adscribitur *γλυκύπικρον*, quod non ad *ὄρπετον* sed ad personam pro qua dicitur *ὄρπετον* spectat — ad ipsum Cupidinem vel potius ad ipsum amorem. Itaque *ὄρπετον* tamquam ambigue positum est neque habent quicquam offensionis adiectiva cumulata. Sic etiam Pindarus O. II, 83 duas permiscuit cogitationes:

πολλά μοι ὑπ᾽ ἀγκῶνος ὠκέα βέλη
ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας
φωνάεντα συνετοῖσιν·

Βέλη per tropum dictum est quemadmodum *ὀϊστοὶ* v. 90: *τίνα βάλλομεν — εὐκλέας ὀϊστοὺς ἱέντες*, attamen ille tropus ita accipiendus est ut obversentur animo et sagittarum et carminum cogitationes. Quin etiam facere non possumus quin *βέλη* ita

intellegamus: alterum enim epitheton ὠκέα pertinet ad sagittas, alterum φωνάεντα συνετοῖσιν ad carmina. Scholiasta vero non satis fecisse videtur poetae interpretans: τροπικὸς ὁ λόγος· βέλη δὲ τοὺς λόγους εἴρηκε διὰ τὸ ὀξὺ καὶ καίριον τῶν ἐγκωμίων. — Pariter dixit Pindarus O. IX, 11: πτερόεντα δ' ἵει γλυκὺν Πυθῶνά δ' ὀϊστόν; nam γλυκὺν spectat ad iucunditatem carminum, quae haud raro ab ipso Pindaro appellantur μελιγάρυες ὕμνοι, πτερόεντα ad sagittas. Ceterum etiam Homericum illud ἔπη πτερόεντα ab hac similitudine videtur petitum esse. — Pindari etiam haec sunt (frg. 194):

Κεκρότηται χρυσέα κρηπὶς ἱεραῖσιν ἀοιδαῖς,
οἶα τειχίζωμεν ἤδη ποικίλον
κόσμον αὐδάεντα λόγων.

Bergkius in quarta lyricorum editione scripsit ποικίλων, at verba tradita ferri possunt. Cum enim proprium sit camenae Pindaricae ut in tropis ambae cogitationes serventur, facile intellectu est quomodo illa accipienda sint. Ad aedificii enim similitudinem praeter verbum τειχίζωμεν (cf. Pind. P. VI, 9: ὕμνων θησαυρὸς τετείχισται) pertinet adiectivum ποικίλον. Itaque κόσμον quasi ambigue legitur. Clarius etiam ille dicendi usus apparet Pind. O. II, 81: ὃς Ἕκτορ' ἔσφαλε Τροίας ἄμαχον ἀστραβῆ κίονα. In recentioribus editionibus recte interpunctio post ἄμαχον deleta est. In duplici autem epitheto non haerendum, siquidem κίονα duplicem habet notionem. Nam per tropum dictum est κίονα pro Hectore, qui est ἄμαχος, propria autem vocis metaphorice dictae notione servata additum est ἀστραβῆ. — Similem licentiam sibi permisit Euripides Phoen. 322:

ὅθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι
δακρυόεσσ' ἀνεῖσα πένθει κόμαν
ἄπεπλος φαρέων λευκῶν, τέκνον,
δυσόρφναια δ' ἀμφὶ τρύχη τάδε
σκότι' ἀμείβομαι.

Ita si cum omnibus praeter Marcianum (A) codicibus legimus, σκότια est adiectivum: tum molesta sunt adiectiva cumulata, praesertim cum eiusdem fere sint significatus. Sed ex scriptura codicis A ἀμφιτρύχη et ex glossa Hesychii ἀμφιτρυχῆ· κατερρωγότα iam restitutum est ἀμφιτρυχῆ. Tum vocabulo σκότια substantivi loco dicto adhaeret duplex epitheton perbene ferendum. Sic, quod plurimum valet, sensus efficitur poeta dignissimus: Induo me obscuris istis tenebris attritis. Pulchre enim vestes

nigrae per tropum appellantur tenebrae. Quod autem Euripides voci *σκότια* attribuit adiectivum, quod non ad ipsum substantivum sed ad illud, pro quo per tropum positum est, quadrat, unusquisque poetae indulgebit, quin etiam laudi ducet; est enim poetae tragici audenter verba componere. — Sed ille dicendi usus etiam latius patet. Nam non solum imago alicuius rei cum re ipsa confunditur, sed haud raro omnino duae cogitationes coalescunt. Dixit Euripides Jon. 213:

τί γάρ; κεραυνόν
ἀμφίπυρον ὄμβριμον ἐν Διὸς
ἑκηβόλοισι χερσίν (sc. *λεύσσεις*);

alterum epitheton *ἀμφίπυρον* spectat ad imaginem Jovis, alterum chorus ex suo addit. Quis enim fulgur *ὄμβριμον* vocare poterat? Hoc igitur chorus ex sua ipsius memoria addit, sicut in proximo versu *ἑκηβόλοισι* aliquid memorat, quod ex ipso simulacro non apparet. Similia leguntur in Rheso, quae iniuria Euripidi tributa est, 546:

Καὶ μὴν ἀΐω Σιμόεντος
ἡμένα κοίτας
φοινίας ὑμνεῖ πολυχορδοδάτᾳ
γήρυι παιδολέτωρ
μελοποιὸς ἀηδονίς μερίμνας·

verisimile est animo poetae obversatam esse lusciniam dulci praeditam voce, lusciniam ut ita dicam naturalem; haec dicitur *μελοποιὸς*, cuius ex cantu custodes lucem appetentem animadvertunt. Sed simul poeta de alia luscinia cogitasse videtur eaque mythologica, ut ita dicam; ad hanc pertinet *παιδολέτωρ*, cf. schol. ad Or. 980: *τὰ φυσικὰ τοῖς μυθικοῖς καταμίγνυσιν Εὐριπίδης*. Itaque facile explicari potest quomodo factum sit ut *ἀηδονὶς* duplici exornaretur epitheto. Apud Sophoclem (Ai. 1164) haec legimus:

ἀλλ' ὡς δύνασαι, Τεῦκρε, ταχύνας
σπεῦσον κοίλην καπετόν τιν' ἰδεῖν
τῷδ', ἔνθα βροτοῖς τὸν ἀείμνηστον
τάφον εὐρώεντα καθέξει.

Εὐρώεις proprie dicitur de Tartaro eodem fere significatu quo *σκοτεινός*. Erraverunt enim qui *εὐρώεις* ab *εὐρὺς* derivaverunt, ut Apoll. l. h. = *εὐρέα, ἀνατεταμένα* et schol. ad Y, 65 *ὅτι πάντα χωρεῖ*. Quod voluit etiam Hermannus; neque negari potest poetas recentiores *εὐρώεις* hoc significatu usurpasse. Apud

antiquiores vero poetas significat idem quod *σκοτεινὸς*, quod eo maxime confirmatur, quod aqud Homerum iuxta poni solet: *σμερδαλέα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.* Iam vero ex angustiis, quas praebent verba *ἀείμνηστον τάφον εὐρώεντα* facile effugiemus, cum putari possit *τάφον* ambigue dictum esse; *ἀείμνηστον* igitur pertinet ad tumulum et *εὐρώεντα* adscriptum est, quod Tartari notio voci *τάφον* subrepsit.

§ 5.

De epithetis, quae substantivo metonymice dicto adiunguntur.

Ex paragrapho antecedenti apparet quomodo exoriri potuerit illa perusitata poetarum dicendi consuetudo, qua personam pro re posuerunt, ita tamen ut duplex vocis significatio animo legentis obversaretur. Simplicissima ea est metonymiarum figura, qua poetae pro re usurpant dei nomen ita ut nihil admixtum sit quod ad ipsum deum pertineat. Sic Bacchus pro vino dicitur, Venus pro amore, Mars pro bello, Vulcanus pro igne all., quin ne prosa quidem oratio a talibus abhorret. Creberrimae tales metonymiae apud recentiores poetas Latinos inveniuntur, quos tamen verisimile est hanc dicendi consuetudinem a doctioribus poetis Graecis, maxime Alexandrinis accepisse. Antiquiores poetae hac figura multo cautius usi sunt; nonnulla tamen etiam diligentissimi poetae sibi permiserunt. Sic Pindarus Venerem pro amore ita posuit ut nihil in enuntiato inveniatur quod ad personam pertineat, O. VI, 35: *ἔνθα τραφεῖσ' ὑπ' Ἀπόλλωνι γλυκείας πρῶτον ἔψαυσ' Ἀφροδίτας.* Eadem ratione explicari potest N. VIII, 1: *Ὥρα πότνια, κάρυξ Ἀφροδίτας ἀμβροσιᾶν φιλοτάτων*, quamquam *Ἀφροδίτας φιλοτάτων* aliam etiam eamque simpliciorem interpretationem admittunt, cum praebeat Venus *φιλότητας.* Apud Sophoclem (Antig. 123): *πρὶν — στεφάνωμα πύργων πευκάενθ' Ἥφαιστον ἑλεῖν* nihil videtur admixtum esse quod ad ipsum deum pertineat; nam verbum *ἑλεῖν* etiam de igne bene dicitur. Similiter ibid. 1007: *Ἥφαιστος οὐκ ἔλαμπεν*, dei nomen pro integro rei significatu usurpatur. Contra apud Pindarum O. II, 8:

καμόντες οἳ πολλὰ θυμῷ
ἱερὸν ἔσχον οἴκημα π ο τ α μ ο ῦ

res pro persona dicta est. Iam vero multo artificiosius ita usurpatur alicuius numinis nomen pro rei significatione, ut etiam

personae cogitatio lectori obversetur. Quod quidem vario modo efficitur. Simplicior est figura, si nomini ambiguo per appositionem adiungitur substantivum, quod ad dei naturam pertinet. Ita Pind. N. V. 41: τὺ δ' Αἰγίνᾳ θεᾶς, Εὐθύμενες, Νίκας ἐν ἀγκώνεσσι πίτνων . . . Recentiores poetae haud raro non ipsius dei nomine rem significant sed circumscriptione ita instituta ut contineat quae ad personam pertinent. Dixit Ovidius in IV ex Ponto 10. 55: ‚Quique duas terras, Asiam Cadmique sororem, Separat et cursus inter utramque facit.' Multa eiusmodi Hauptius collegit (opusc. II, 170—173), quibus addam quod audacissime dixit Catullus 64, 290:

non sine nutanti platano lentaque sorore
flammati Phaethontis et aeria cupressu.

Nonnumquam verbum spectat ad rem, sed adiuncto dei nomini adiectivo etiam numinis cogitatio servatur. Sic Pind. I. VI (VII). 23: φλέγεται δὲ ἰοπλόκοισι Μοίσαις verbum φλέγεται ad hymnum pertinet. Epitheton autem ἰόπλοκος nisi de personis usurpari non potest. Consimile est Pind. frg. I, 6: ταμίαι τε σοφοὶ Μοισᾶν ἀγωνίων τ' ἀέθλων, ubi Μοῖσαι sunt carmina; neque enim pateremur iuxta poni Camenas et certamina; deinde etiam eo apparet Μοισᾶν positum esse pro rei significatione, quod adiectivum ἀγωνίων per figuram ἀπὸ κοινοῦ quae dicitur utrique substantivo adhaeret. Attamen pro more Pindari hic Μοῖσαι non sunt nihil nisi carmina; neque enim ταμίαι tam apte quadrat ad carmina quam ad Camenas, quas illi tamquam sacerdotum loco colunt. Simile est quod vulgo tribuitur Antimacho (16, 6): σὺ δ' εὐχαίταν εἰς Ὑμέναιον ἴθι. Fortasse ad idem metonymiae genus referri potest quod dixit Pindarus O. VI, 90:

ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός,
ἠυκόμων σκυτάλα Μοισᾶν, γλυκὺς κρατὴρ
ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν·

Clarius illa ratio patet Pind. I. II, 4:

ὅστις ἐὼν καλὸς εἶχεν Ἀφροδίτας
εὐθρόνου μνάστειραν ἀδίσταν ὀπώραν,

nam epitheton ad personam spectat, cetera ad rem inanimatam. Manifestiore etiam audacia dixit Pindarus I. II, 25:

ἀδυπνόῳ τέ νιν ἀσπάζοντο φωνᾷ
χρυσέας ἐν γούνασιν πίτνοντα Νίκας
γαῖαν ἀνὰ σφετέραν . . . .

ubi adiectivo *χρυσέας* monemur poetam etiam de persona cogitavisse. Nam *χρυσέας Νίκης* coniunctum est ut notum illud Homeri aliorumque *χρυσέη Ἀφροδίτη* et quod apud ipsum Pindarum (N. II, 7) invenitur: *ἀπὸ χρυσεᾶν Νηρεΐδων*. Contraria ratione adiectivum a re ad personam translatum est *Φ*, 140:

. . . τὸν δ' Ἀξιὸς εὐρυρέεθρος
γείνατο καὶ Περίβοια, Ἀκεσσαμενοῖο θυγατρῶν
πρεσβυτάτη· τῇ γάρ ῥα μίγη ποταμὸς βαθυδίνης.

Notus est ille dicendi usus quo poetae lyrici, maxime Pindarus eadem voce et urbis (sive terrae) et heroidis cogitationem excitant. Ita voci *Θήβα* (O. VI, 85) quamquam significat heroidem adiungitur *πλάξιππος*: *εὐανθὴς Μετώπα, πλάξιππον ἃ Θήβαν ἔτικτεν*. neque aliter accipiendum est Pind. O. VII, 13: *τὰν ποντίαν ὑμνέων παῖδ' Ἀφροδίτας, Ἀελίοιό τε νύμφαν, Ῥόδον εὐθυμάχαν*. sic enim interpungendum esse infra probaturus sum. — Deinde omnes omnibus temporibus sibi permiserunt poetae ut quaedam substantiva abstracta usurparent, quasi personarum divinarum essent significationes. Sed hoc omnes boni poetae caverunt ne frigida exstaret allegoria quae dicitur. Itaque ubi talibus verbis usi sunt, adiunctis epithetis vel substantivis per appositionem adscriptis curaverunt ut verae viderentur esse personae. Sic, ut unum e multis afferam exemplum, scripsit Bacchylides 29, 3:

ἀλλ' ἐν μέσῳ κεῖται κιχεῖν
πᾶσιν ἀνθρώποισι Δίκαν ὁσίαν, ἁγνάν,
Εὐνομίας ἀκόλουθον καὶ πινυτᾶς Θέμιδος·

quod tamen desiderat emendationem; valde enim displicet quod *Εὐνομίας* caret epitheto; neque enim *πινυτᾶς* per figuram *ἀπὸ κοινοῦ* quae dicitur positum esse putari potest, cum *πινυτὸς* soli Themidi debeatur. Itaque — ut alias difficultates quas ille locus praebet praetermittam — multo melius verba mihi procedere videntur, si cum Bergkio scribimus:

ἀλλ' ἐν μέσῳ κεῖται κιχεῖν
πᾶσιν ἀνθρώποισι Δίκαν, ὁσίαν ἁγνᾶς
Εὐνομίας ἀκόλουθον καὶ πινυτᾶς Θέμιδος.

Huc etiam pertinet ille Euripidis locus Med. 830: *ἔνθα ποθ' ἁγνὰς ἐννέα Πιερίδας λέγουσι ξανθὰν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι*, ubi per animi lusum poeta pro *μουσικὴν* sive *παιδείαν ἐνοικίσαι* (sic Lobeckius par. gr. gr. p. 330 adnot.) studiosius dixit *ξανθὰν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι*. Neque enim haec cum Elmsleio ita intellegenda

sunt ut genealogiam fieri putemus. Illud tamen concedendum est poetam adscripto adiectivo *ξανθὰν* efficere voluisse ut legenti etiam personae cogitatio obversaretur.[5]) Ceterum Euripides non admodum a frigidis abstinuit metonymiis, cf. El. 702: *Πᾶνα μοῦσαν ἡδύθροον πνέοντα.* — Deinde pervulgata est illa metonymiarum figura, qua poetae duplicem eius personae, quae *μεταμόρφωσιν* passa est, cogitationem excitant; quod quidem eo efficitur, ut substantivo adscribatur adiectivum, quod ad priorem personae vitam pertineat. Sic explicandum est Pind. N. II, 10:

. . . ἔστι δ' ἐοικός
ὀρειᾶν γε Πελειάδων
μὴ τηλόθεν Ὠαρίωνα νεῖσθαι,

epitheto enim *ὀρειᾶν* monemur, quid olim fuerint *Πελειάδες*, cf. pisces (sc. sidus) squamiferi, *ἀρνειὸς εὔποκος* (Lobeck. par. gr. gr. p. 330). Audacissime dixit Catullus, quod iam supra citavi, 64, 290:

non sine mutanti platano lentaque sorore
flammati Phaethontis et aeria cupressu.

Neque tamen iam omnia metonymiarum genera enarravi, neque volui enarrare. Ostendere volui quomodo poetae adscriptis adiectivis personae et vice versa rei cogitationem excitent, cum reliqua enuntiati membra contrario fungantur munere. Iam vero fieri potest ut etiam hoc reliquorum verborum officium suscipiatur epitheto. Tum igitur exstat coniunctio verborum, quae nihil habet offensionis. Apparet autem hanc figuram omnium metonymiarum esse artificiosissimam. Neque mirum est quod inprimis Pindarus, quippe qui praeter ceteros dictionem poeticam exornarit figuris, talia composuit. Qui dixit O. VI, 57: *τερπνᾶς δ' ἐπεὶ χρυσοστεφάνοιο λάβεν καρπὸν Ἥβας κτλ.*, ubi in cumulatis adiectivis eam ob causam non offendo, quod alterum *χρυσοστεφάνοιο* ad deae significationem pertinet, alterum ad rei notionem, ad iuventutem. Satis mirum est quod scholiasta illam metonymiae figuram non agnovit; interpretatur enim: *τερπνὴν δὲ καὶ εὐστέφανον ἐκάλεσε τὴν ἀκμὴν τοῦ σώματος διὰ τὸ ἐπίχαρι*

[5]) Nunc video Wilamowitzium illum locum eodem modo explicasse Hermae XV, 499: Die Vermischung von abstract und concret in den Worten *ἔνθα ποθ' ἁγνὰς ἐννέα Πιερίδας Μούσας λέγουσι ξανθὰν Ἁρμονίαν φυτεῦσαι*, welche der Scholiast wohl versteht, ist ja ganz geläufig: in allen solchen Fällen aber geben die nackten Worte einen Widersinn, das ist der Reiz des *σχῆμα*.

αὐτῆς· attamen ἥβας de dea dictum censuit: Καρπὸν Ἥβας, τῆς θεοῦ λέγει, ὡς ἥβησεν. Dubitari potest, utrum sit καρπὸν Ἥβας quem dederit Ἥβα (cf. Stat. silv. IV, 6, 56: fratris (i. e. Bacchi) pocula, — quae praebet frater, et Pind. N. VIII, 1: Ἀφροδίτας — φιλοτάτων) an nihil nisi ἥβας circumscriptio sit, ut simplicior verborum ordo hic foret: τερπνὰν δ᾽ ἐπεὶ χρυσοστέφανον λάβεν Ἥβαν. Equidem posteriorem explicationem ut simpliciorem praefero maxime adductus Pind. P. IX, 109: χρυσοστεφάνου δέ οἱ Ἥβας καρπὸν ἀνθήσαντ᾽ ἀποδρέψαι ἔθελον, quod tantum ornatius dictum esse puto pro ‚iuventutem vigentem‘. Eadem metonymia invenitur Pind. N. VII, 4: τεὰν ἀδελφεὰν ἐλάχομεν ἀγλαόγυιον Ἥβαν, nam ἀγλαόγυιον de iuventute splendidis artubus insigni dictum est. — Fere ultro se offerebant poetae metonymiae, quibus solis et Phoebi, lunae et Lunae cogitationes confundebantur. Sic Pindarus O. III, 19:

ἤδη γὰρ αὐτῷ . . . διχόμηνις ὅλον χρυσάρματος
ἑσπέρας ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε Μήνα

ad personam transtulit quod tantum sideri tribuitur: διχόμηνις, fere eadem ratione qua dixit Ovidius met. XV, 196: nec par aut eadem nocturnae forma Dianae esse potest umquam. Huc etiam pertinet quod ausus est Aeschylus Pers. 384:

ἐπεί γε μέντοι λευκόπωλος ἡμέρα
πᾶσαν κατέσχε γαῖαν εὐφεγγὴς ἰδεῖν,

ubi aptius scribitur Ἡμέρα, ut metonymiae figura facilius cognoscatur. Sed utut est, certe hoc concedendum aliquantulum obversatam esse personae cogitationem, cf. Theocr. XIII, 11:

χωρὶς δ᾽ οὐδέποκ᾽ ἦς, οὔτ᾽ εἰ μέσον ἆμαρ ὄροιτο,
οὔθ᾽ ὁπόχ᾽ ἁ λεύκιππος ἀνατρέχοι ἐς Διὸς Ἀώς.

Exquisitiore ratione cumulavit Pindarus adiectiva frg. 29. 30: ἁ δὲ (i. e. Θέμις) τὰς χρυσάμπυκας ἀγλαοκάρπους τίκτεν ἀλαθέας Ὥρας, nam χρυσάμπυκας pertinet ad personas (cf. P. III, 89: χρυσαμπύκων — Μοισᾶν, O. VII, 64: χρυσάμπυκα Λάχεσιν), ἀγλαοκάρπους ad ὥρας, quae fruges praebent, ἀλαθέας omnino ad temporum mutationes, quibus omnia aperta fiunt, cf. Bergkii adnotationem. — Minus confidenter locum sequentem ad hoc dicendi genus refero, Pind. I. II, 6:

ἁ Μοῖσα γὰρ οὐ φιλοκερδής πω τότ᾽ ἦν οὐδ᾽ ἐργάτις·
οὐδ᾽ ἐπέρναντο γλυκεῖαι μελιφθόγγου ποτὶ Τερψιχόρας
ἀργυρωθεῖσαι πρόσωπα μαλθακόφωνοι ἀοιδαί.

Libri dederunt μελίφθογγοι, quod omnibus probantibus correxit iam Heynius in μελιφθόγγου. Gravius est, quod etiam mutato illo μελίφθογγοι complura leguntur epitheta. Dicat quispiam γλυκεῖαι cum non solum ad ipsum cantum sed etiam ad verba hymni spectet latiorem habere notionem; quod quamquam concedi potest, tamen γλυκὺς cum ἀοιδαὶ coniunctum suavem carminum sonum significare solet. Sed difficultates alia ratiocinatione tolluntur. Nam voce πρόσωπα monemur poetam cogitare de carminibus quasi personis; ἀργυρωθεῖσαι πρόσωπα autem recte mihi scholiasta — ut de ceteris interpretationibus taceam — explicasse videtur: πρόσωπον κεκοσμημέναι καὶ λαμπρυνθεῖσαι, ὡς τὰ ὤνια ὑπὸ τῶν πωλούντων ἐκοσμοῦντο. Sic etiam Boeckhius locum intellegi volebat: ‚carmina argento fucata'; quod de iis quasi personis apte dicitur. Sunt autem carmina filiae Terpsichores. Ceterum quod Terpsichore vendat carmina unicuique minus placebit quam quod filias vendere dicatur. Sed ne videar elicere ex verbis Pindari quae iis inesse non possint quaeque a Pindari usu dicendi abhorreant, afferam N. IV, 2: αἱ δὲ σοφαὶ Μοισᾶν θύγατρες ἀοιδαί, e quibus apparet non alienum esse ab opinione Pindari quod carmina filiae Camenae dicantur. Itaque puto ἀοιδαὶ illo loco de quo quaeritur ambigue dictum esse, pro ἀοιδαὶ et Ἀοιδαί, ut diversis litteris significem. Quod si conceditur, multo facilius est explicatu quem ad finem cumulata sint epitheta. Nam γλυκεῖαι pertinet ad ἀοιδαί, μαλθακόφωνοι ad Ἀοιδαί, ad filias Camenae. Ceterum personarum cogitatio adeo praevalet, ut aptius scribatur Ἀοιδαί. — Alium locum a criticis saepius temptatum eadem ratione defensurus sum. Versus Archilochi 11 [55] sic traditi sunt:

Πολλὰ δ' εὐπλοκάμου πολιῆς ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν
θεσσάμενοι γλυκερὸν νόστον . . . .

ubi offensus est Thierschius in εὐπλοκάμου, ut quod male ad ἁλὸς quadraret; quare coniecit εὐπλοΐμοις. At hac mutatione malum effecit sensum; nam quamvis parvum sit illud fragmentum, tamen id apparet preces illas fieri non in placido sed in turbido mari. Aptius coniecit Bergkius (in tertia editione): πολλά δ' εὐπλοκάμου (vel potius εὐπλόκου) Εὐπλοίης et si hoc displiceret Παλλάδ' εὐπλόκαμον, quod etiam Heckerus voluit. At omnino non opus est emendatione, cum verba tradita optime stare possint. Nam ἅλς est mare simulque subcogitanda est persona quaedam: ad hanc autem pertinet εὐπλοκάμου. Nescio

utrum aptius de Amphitrite an de Thetide an de alia qua cogitemus. Amphitriten ex scholiastarum opinione iam Homerus pro mari dixit γ, 91: *ἐν πελάγει μετὰ κύμασιν Ἀμφιτρίτης*, ubi *Ἀμφιτρίτης* = *θαλάσσης* dictum esse explicant; iniuria, nam absurdum esset hoc *ἐν πελάγει μετὰ κύμασιν θαλάσσης*. Sed alio loco, ν, 97: *ἅ μύρια βόσκει ἀγάστονος Ἀμφιτρίτη*, numen pro re dictum est. Sic etiam Euripides Iph. T. 425: *ἐπ' Ἀμφιτρίτας ῥοθίῳ δραμόντες*. Artificiosius dixit Catullus 64, 11: *illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten*. Recentiores poetae haud raro mare Thetidis nomine significaverunt, cf. Lycophr.: *παρθενοκτόνον Θέτιν* i. e. Hellespontum (Haupt. opusc. II, 169). Sed utut res habet, hoc concedendum est Archilochum illo loco voci *ἁλὸς* admiscuisse cogitationem numinis alicuius. Qua cum ratione conferri potest quod ausus est Pindarus O. II, 8: *ποταμοῦ* pro Amnis. Ceterum Archilochus illa duarum cogitationum confusione aliquantulum lucratus est; vitavit enim ne molestus fieret pleonasmus *ἁλὸς ἐν πελάγεσσιν*, itaque tritissimae illi formulae novum attribuit nitorem.

Iam vero ne tragici quidem ab hoc metonymiarum genere abhorruerunt. Dixit Aeschylus Sept. 955:

ἰὼ, μοῖρα βαρυδότειρα μογερά,
πότνιά τ' Οἰδίπου σκιά,
μέλαιν' Ἐρινύς, ἦ μεγασθενής τις εἶ.

Rectius *Μοῖρα* scribitur, cum personae cogitatio praevaleat; ad hanc pertinet *βαρυδότειρα*. *Μογερὰ* autem quod tantum de re dicitur additum est, cum etiam rei notio in *μοῖρα* subaudiatur Persona est *μοῖρα* etiam Eurip. Heraclid. 899:

πολλὰ γὰρ τίκτει
Μοῖρα τελεσσιδώτειρα.

Sophoclis haec sunt (Ph. 391): *ὀρεστέρα παμβῶτι Γᾶ, μᾶτερ. αὐτοῦ Διὸς*, permixtae sunt rei et personae cogitationes, nam *παμβῶτι* ad terram pertinet, cui similiter adscriptum est atque Homericum illud *πουλυβότειρα* (*χθών*). Pro *ὀρεστέρα* crebrius legitur *ὀρεία*. Itaque ex artis praecepto epitheta cumulata sunt. Item Sophocles Telluris et terrae significationes confudisse videtur Antig. 338: *θεῶν τε τὰν ὑπερτάταν, Γᾶν ἄφθιτον, ἀκαμάταν ἀποτρύεται*, ubi nescio an melius comma post *ἄφθιτον* deleatur. Verisimile enim est *ἄφθιτον* ad deam pertinere, cf. Pind. P. IV, 33: *παῖς ἀφθίτου Ἐννοσίδα*, ibid. 291: *Ζεὺς ἄφθιτος*, imprimis Eurip. Andr. 1256: *σὲ — ἀθάνατον ἄφθιτόν τε ποιήσω θεόν.* quamquam

duplex epitheton etiam alio modo explicari potest.[6]) Sed iam ad Pindarum redibo. Qui cum confudisset urbium et heroidum cogitationes saepius uni substantivo complura adiunxit adiectiva ita ut alterum ad locum vel terram, alterum ad personam spectaret. Neque hoc fugit veteres interpretes, cf. schol. ad Pind. P. IV, 25: *εἰώθασι δὲ οὗτοι συμπλέκειν τὰ τῶν χώρων ἢ τῶν πόλεων καὶ τὰ τῶν ἡρωΐδων ὀνόματα διακοινοποιοῦντες, οἷον· Εὐάρματε χρυσοχίτων . . . . . ἱερώτατον . . ἄγαλμα, Θήβα· τὸ μὲν γὰρ εὐάρματε τῆς πόλεως, τὸ δὲ χρυσοχίτων τῆς ἡρωΐδος.* Itaque iniuria Bergkius (frg. 195) *εὐάρματε* et *χρυσοχίτων* commate separavit. Simili consilio dixit Pindarus frg. 90:

Πρὸς Ὀλυμπίου Διός σε,
χρυσέα κλυτόμαντι Πυθοῖ,
λίσσομαι Χαρίτεσσί τε καὶ σὺν Ἀφροδίτᾳ
ἐν ζαθέῳ με δέξαι χορῷ
ἀοίδιμον Πιερίδων προφάταν,

ubi *χρυσέα* ad personam refero, *κλυτόμαντι* ad locum. Exquisita arte etiam hoc dictum est, P. IX, 55:

νῦν δ' εὐρυλείμων πότνιά σοι Λιβύα
δέξεται εὐκλέα νύμφαν δώμασιν ἐν χρυσέοις πρόφρων,

ubi tamen plus valet personae cogitatio quam terrae. Eadem causa cumulata sunt epitheta Pind. O. IX, 19:

ὅθεν στεφάνων ἄωτοι κλυτὰν
Λοκρῶν ἐπαείροντι ματέρ' ἀγλαόδενδρον,

mater enim Locrorum est Opus. — Est etiam, ubi utraque cogitatio propriis exponatur verbis, sicut Tyrt. 8 [7], 7:

ἴστε γὰρ Ἄρηος πολυδακρύου ἔργ' ἀΐδηλα,
εὖ δ' ὀργὴν ἐδάητ' ἀργαλέου πολέμου,

et Soph. Ai. 856:

σὲ δ' ὦ φαεννῆς ἡμέρας τὸ νῦν σέλας,
καὶ τὸν διφρευτὴν Ἥλιον προσεννέπω.

Ceterum ne nostri quidem poetae ab exquisitiore metonymiarum usu abhorruerunt; sic non sine magna audacia dixit K. Simrock:

Drusus liess in Deutschlands Forsten
goldne Römeradler horsten.

[6]) cf. § 10.

§ 6.

De epithetis, quorum alterum pro alio enuntiati membro legitur.

Cum id studeant poetae ut verba alio ordine et structura componant atque scriptores, saepissime adiectivis utuntur ubi in prosa oratione aliud enuntiati membrum ponitur. Ita factum est ut haud raro uni substantivo complura tribuerentur adiectiva, quorum alterum alius vocis officium suscepit. A quibus secludenda sunt quae tantum videntur adhaerere substantivo, ut Soph. Ph. 188:

ἁ δ' ἀθυρόστομος
ἀχὼ τηλεφανὴς πικρὰς
οἰμωγὰς ὑποκλαίει,

ubi caveas ne τηλεφανὴς epitheti loco voci ἀχὼ tribuas; nam proprium sibi habet munus, cum ad praedicatum pertineat = gemitus succinit longe auditos. Ad praedicatum etiam pertinet alterum adiectivum ibid. 186: ἀνήκεστα μεριμνήματ' ἔχων βαρέα = ὡς ἀνήκεστα ὄντα. Neque minus diversa structura leguntur Pind. P. VIII, 61:

τὺ δ' ἑκαταβόλε, πάνδοκον
ναὸν εὐκλέα διανέμων
Πυθῶνος ἐν γυάλοις,

ubi recte interpretatus est scholiasta: ἐνδόξως διανέμων. Theocriti haec sunt (I, 128):

ἔνθ' ὦναξ καὶ τάνδε φέρευ πακτοῖο μελίπνουν
ἐκ κηρῶ σύριγγα καλάν, περὶ χεῖλος ἑλικτάν,

ubi non nego iuxta poni posse μελίπνουν et καλὰν, cum describatur fistula; sed locum maxime refutandae Hermanni Fritschii interpretationis causa affero, qui perperam mihi verba vertisse videtur: nimm hin diese honigduftende Syrinx aus festem Wachse, d. h. deren Röhren mit Wachs aneinandergefügt sind. Primum enim parum est verisimile Theocritum fistulam cera conglutinatam dixisse fistulam factam ex cera. Deinde haec a lege grammatica abhorrent; nam participio opus est, ut is quem vult Fritschius efficiatur sensus. Immo verba ita accipienda sunt ut μελίπνουν vim habeat participii, ex quo pendeat ἐκ. — Sed ea tractare volui exempla, quae adiectiva re vera substantivo adhaerentia praebeant, ita tamen ut alterum pro alio enuntiati membro legatur. Sic, ut utar exemplo simplicissimo, dixit Aeschylus Suppl. 257: δρακονθόμιλον δυσμενῆ ξυνοικίαν, quod non plus habet offensionis quam

haberet *δρακόντων δυσμενῆ ξυνοικίαν.* Pindari haec sunt P. XII, 9: *τὸν παρθενίοις ὕπο τ' ἀπλάτοις ὀφίων κεφαλαῖς ἄϊε λειβόμενον* . . . ., ubi pro *παρθενίοις* substituere licet *παρθένων.* Saepius tragici audaci facta translatione substantivo addiderunt adiectivum compositum pro genetivo adscribendo. Sic pro *κακοῦ πότμου ἀρὰν* dixerunt *δύσποτμον ἀρὰν.* Itaque ut licet dicere *στυγερὰν κακοῦ πότμου ἀρὰν,* ita non offendit *στυγερὰν ἔχε δύσποτμον ἀρὰν,* quod legitur Soph. Ph. 1119. Simili figura Sophocles clamorem vulnere viros fatiganti excitatum apellavit viros fatigantem, *τρυσάνωρα* Ph. 207:

οὐδέ με λάθει
βαρεῖα τηλόθεν αὐδὰ
τρυσάνωρ,

eadem audacia qua Ph. 694 *στόνον* Philoctetae dixit *βαρυβρῶτ' — αἱματηρόν.* Audacius etiam Sophocles El. 857:

πάρεισιν ἐλπίδων ἔτι κοινοτόκων
εὐπατριδᾶν ἀρωγοί

pro *ἐλπίδων κοινοῦ τόκου εὐπατρίδου.*

Iam vero cum poetae minus diligentes sint in significandis rationibus grammaticis, haud raro fit ut iuxta ponantur adiectiva grammatice coordinata, subordinata vero ad sensum. Ubi talia excludo, quale est Pind. N. VI, 15: *κυναιγέτας ἴχνεσιν ἐν Πραξιδάμαντος ἑὸν πόδα νέμων πατροπάτορος ὁμαιμίου* = *Πραξιδάμαντος, ὃς πατροπάτωρ ὤν σοί ἐστιν ὁμαίμιος,* nam *πατροπάτορος* vocabulo *ὁμαιμίου* etiam grammatico nexu adhaeret. Aliud eiusmodi exemplum invenitur apud Euripidem Heracld. 80, ubi chorus Atheniensium interrogat Iolaum: *σὺ δ' ἐκ τίνος γῆς, ὦ γέρον, τετράπτολιν ξύνοικον ἦλθες λαόν;* Sine grammatico autem nexu adiectiva inter se cohaerent apud Sophoclem O. C. 1081:

εἴθ' ἀελλαία ταχύρρωστος πελειὰς
αἰθερίας νεφέλας κύρσαιμι,

neque enim hic exstat figura *ὕστερον πρότερον* quae dicitur, sed accipienda sunt adiectiva tamquam pro adiectivo composito dicta = windschnell. — Apud Euripidem Bacch. 594 Dionysus choro imperat:

ἅπτε κεραύνιον αἴθοπα λαμπάδα·
σύμφλεγε, σύμφλεγε δώματα Πενθέως.

Proprie *κεραύνιος λαμπὰς* significat fulgur, sicut *φλὸξ κεραυνία* Aesch. Pr. 1016, *πῦρ κ.* Eurip. Tr. 80, *λαμπάσιν κεραυνίοις* in ipsa Baccharum fabula pro fulgure legitur v. 244 et Suppl. 1011.

Sed quomodo chorus fulgur nectere potest? Itaque ad aliam interpretationem confugiendum est; namque eadem ratione qua coniunxit Sophocles *ἀελλαία ταχύρρωστος πελειὰς* scripsit Euripides *κεραύνιον αἴθοπα* = blitzhell. Non nulla adiectiva fere ultro se offerebant, ut adverbii loco usurparentur. Sic Sophocles Antig. 1016: *βωμοὶ γὰρ ἡμῖν ἐσχάραι τε παντελεῖς πλήρεις ὑπὸ — βορᾶς* dixit = *τελέως πλήρεις.* Similiter *πλήρης* adverbii loco legitur apud Euripidem Alc. 132:

πάντα γὰρ ἤδη τετέλεσται βασιλεῦσι,
πάντων δὲ θεῶν ἐν βωμοῖς
αἱμόρραντοι θυσίαι πλήρεις,

apparet enim *πλήρεις* spectare ad *αἱμόρραντοι* et idem velle ac si dictum esset *πλήρεις αἵματος προσράντου.* Ceterum ne prosa quidem oratio a talibus prorsus abstinuit, cf. Plat. Protag. 317 b: *τὴν ἐναντίαν ἅπασαν ὁδὸν ἐλήλυθα* = viam plane contrariam. — Pari ratione fortasse restituenda sunt quae de Hercule dixit Stesichorus frg. 7:

Σκύπφειον δὲ λάβων δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον
πῖνεν ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας,

ubi nescio quo iure stare possit illud *ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον.* Idem Leutschius sensisse videtur, qui vocula *ὡς* deleta commendavit *ἔμμετρον τριλάγυνον* vel *ἐμμέτρως τριλάγυνον.* Equidem puto genuinam lectionem esse *ἔμμετρον τριλάγυνον*, quae *λογικῶς* ut ita dicam subordinata sint; fuisse autem qui verba etiam grammatico vinculo coniungi mallet; qui cum *ὡς* superscripsisset, dittographia ut ita dicam ortum est illud *ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον.* —

Huc etiam pertinet Anacreonteum (4, 14):

χάρασσ᾽ Ἔρωτας ἀνόπλους
καὶ Χάριτας γελῶσας
ὑπ᾽ ἄμπελον εὐπέταλον,
εὐβότρυον, κομῶσαν,

ubi videtur supervacaneum esse *κομῶσαν.* Quare Bergkius in quarta lyricorum editione proposuit *εὖ βότρυσιν κομῶσαν.* Qua quidem emendatione sensui loci satisfecit, sed leviore medela ad eandem sententiam perveniri potest. Deleto enim commate post *εὐβότρυον* posito aptus efficitur ordo verborum. Tum adiectivum *εὐβότρυον* subordinatum est ad sensum participio *κομῶσαν.* — Ut alium locum in dubitationem vocatum afferam, scripsit Aeschylus Spt. 156: *κλύετε παρθένων κλύετε πανδίκως χειροτόνους* (sic enim Mediceus in correctura) *λιτὰς*, ubi si variam

lectionem *πανδίκους* praeferimus, tamen eadem efficitur sententia: *κλύετε ἡμῶν δικαίως εἰς οὐρανὸν ἀνεχουσῶν τὰς χεῖρας* (glossat.). Non sine magna arte dixit Euripides El. 700: *κληδὼν — μένει — Πᾶνα — ἐν καλάμοις — χρυσέαν ἄρνα καλλιπλόκαμον πορεῦσαι*, neque enim quisquam dubitabit quin agna aurea appelletur, quod aurea lana praedita sit. Hoc vult illud *χρυσέαν — καλλιπλόκαμον*, quod simplicius iteratur v. 725: *χρυσόμαλλον ποίμναν*. Hoc etiam loco nisus est Elmsleius probaturus poetas epitheta sine copula coniunxisse; at ex illis verbis propria ratione dictis in universum nihil colligi potest. —

Deinde tragici saepius ea usi sunt licentia, ut notionem adiectivi cui negativa inest vis non addito genetivo supplerent, sed secundo adscripto adiectivo eoque a substantivo formato quod proprie illi adjectivo negativo adscribendum erat. Sic Aesch. Eum. 470 Minerva Orestem adloquitur: *ἱκέτης προσῆλθες καθαρὸς ἀβλαβὴς δόμοις*, nam adiectivi *καθαρὸς* notio, quae proprie genetivum *βλάβης* requirit, suppletur secundo addito adiectivo. Consimile est Soph. O. C. 1735:

αἰαῖ, δυστάλαινα, ποῖ δῆτ᾽
αὖθις ὧδ᾽ ἔρημος ἄπορος
αἰῶνα τλάμον᾽ ἕξω;

neque enim *ἔρημος* per se stare potest; suppletur autem adiectivo *ἄπορος* = *ἔρημος πόρου*. Quare etiam substantivo complura hac ratione adiungere licet epitheta, ut Aesch. Pr. 271:

οὐ μήν τι ποιναῖς γ᾽ ᾠόμην τοίαισί με
κατισχνανεῖσθαι πρὸς πέτραις πεδαρσίοις,
τυχόντ᾽ ἐρήμου τοῦδ᾽ ἀγείτονος πάγου,

neque enim, si unum *ἔρημος* substantivo adscriptum esset, sciremus qua re vacaret *πάγος*, nisi forte putaremus locum illum omnibus orbum fuisse rebus. Quare ut vaga vocabuli *ἔρημος* notio definiretur Aeschylo addendum erat quibus rebus careret regio. Quod quidem vario modo efficere poterat; effecit autem more poetarum proprio. Incertam vero illic esse adiectivi *ἔρημος* notionem etiam v. 2 eiusdem fabulae monemur: *ἥκομεν — ἄβροτον εἰς ἐρημίαν*, sic enim scribendum esse verisimile.

§ 7.

De epithetis, quae se invicem explicant.

Sequitur ut de iis exponam epithetis accumulatis, quae cum se invicem interpretentur nihil habent offensionis. Dixit Sophocles Ai. 218:

τοιαῦτ᾿ ἂν ἴδοις σκήνης ἔνδον
χειροδάϊκτα σφάγι᾿ αἱμοβαφῆ.

Adiectivo *χειροδάϊκτα* explicatur, quomodo *σφάγια* facta sint *αἱμοβαφῆ*. Elmsleius hoc exemplo ad suam sententiam conprobandam usus est; sed in talibus non debebat niti. Hic enim adiectiva propria de causa vinculo carent, immo ne possunt quidem talia per copulam coniungi. Unusquisque enim sentiet quam languidum, ne dicam absurdum, foret *χειροδάϊκτα σφάγι᾿ αἱμοβαφῆ τε*. Explicant se invicem etiam haec Antig. 1130:

καί σε Νυσαίων ὀρέων
κισσήρεις ὄχθαι
χλωρά τ᾿ ἀκτὰ πολυστάφυλος πέμπει.

Aeschyli haec sunt Pr. 109: *ναρθηκοπλήρωτον δὲ θηρῶμαι πυρὸς πηγὴν κλοπαίαν*, Euripidis I. T. 1246: *σκιερᾷ — εὐφύλλῳ δάφνᾳ*, Hipp. 128: *θερμᾶς δ᾿ ἐπὶ νῶτα πέτρας εὐαλίου κατέβαλλε*. Similia permulta apud tragicos inveniuntur; unum etiam Aristophanis locum afferam, quo usus est Elmsleius l. l., Thesm. 123:

σέβομαι Λάτω τ᾿ ἄνασσαν
κίθαρίν τε ματέρ᾿ ὕμνων
ἄρσενι βοᾷ δοκιμῳ.

Talibus si Elmsleii sententia probari potest, etiam alia habeo, ut Aesch. Ch. 613: *γυναικεῖον ἄτολμον αἰχμάν*. Sed iam videamus quae sibi permiserint poetae lyrici. Anacreo (20): *Τίς ἐρασμίην τρέψας θυμὸν ἐς ἥβην τερένων ἡμιόπων ὑπ᾿ αὐλῶν ὀρχεῖται;* tibiam mollem dixit, quod esset *ἡμίοπος*, cf. Athen. IV, 182 c: *εἰσὶ δ᾿ οἱ αὐτοὶ τοῖς παιδικοῖς καλουμένοις, οἷς οὐκ οὖσιν ἐναγωνίοις πρὸς τὰς εὐωχίας χρῶνται, διὸ καὶ τέρενας αὐτοὺς (ἡμιόπους) κέκληκεν ὁ Ἀνακρέων.* — Ex Anacreonteis (39) haec sunt:

Τί καλόν ἐστι βαδίζειν,
ὅπου λειμῶνες κομῶσιν,
ὅπου λεπτὴν ἡδυτάτην
ἀναπνεῖ Ζέφυρος αὔρην;

videtur autem Graecis zephyri aura *λεπτὴ* iucundissima fuisse, quod cum aliis locis efficitur tum δ, 567, ubi Oceanus campis Elysiis *ζεφυροῖο λιγὺ πνείοντας ἀήτας* mittere dicitur. — Pindarus frg. 75, 5 forum Atheniensium insigne monumentis praedicaturus verba ita composuit: *οἵτ᾿ ἄστεος ὀμφαλὸν οἰχνεῖτε* (sc. *θεοὶ*) *πανδαίδαλόν τ᾿ εὐκλέ᾿ ἀγοράν*. — Mirum nobis videtur quod

poetae veteres ad spem inanem aliquid accuratius explicandi causa apposuerunt. Sic Pindarus N. IV, 40 profitetur poetam sibi inimicum vanam volvere spem (nam haec notio in *γνώμαν* praevalet) *χαμαὶ πετοῖσαν* = irritam. Similiter Simonides *κενεὸς* explicat 5, 15:

Τοὔνεκεν οὔ ποτ᾽ ἐγὼ τὸ μὴ γενέσθαι
δυνατὸν διζήμενος, κενεὰν ἐς ἄπρακτον ἐλπίδα
μοῖραν αἰῶνος βαλέω . . . .

Nonnulla etiam afferam exempla eius generis, ut altero adiectivo declaratur quomodo alterum accipiendum sit. Dixit Simonides 132, 3: *δεσμῷ ἐν ἀχλυόεντι σιδηρέῳ ἔσβεσαν ὕβριν*, Aeschylus Ag. 1398: *ἡ δέ τοι κύκνου δίκην*
τὸν ὕστατον μέλψασα θανάσιμον γόον
κεῖται . . . .

Sophocles Ai. 709: *νῦν, ὦ Ζεῦ, πάρα λευκὸν εὐάμερον πελάσαι φάος*, Euripides I. T. 1280:

τιμὰς πάλιν
θῆκε Λοξίᾳ,
πολυάνορι δ᾽ ἐν ξενόεντι θρόνῳ
θάρση βροτοῖς θεσφάτων ἀοιδαῖς.

Contraria ratione duo adiectiva uni substantivo ita adiunguntur, ut alterum alteri opponatur. Eurip. El. 1190 Orestes Phoebo culpam matris necatae attribuens haec loquitur:

ἰὼ Φοῖβ᾽ ἀνύμνησας δίκαν,
ἄφαντα φανερὰ δ᾽ ἐξέπρα-
ξας ἄχεα, φόνια δ᾽ ὤπασας
λέχε᾽ ἀπὸ γᾶς Ἑλλανίδος

i. e. quamquam non in conspectum venisti, manifestum est te commisisse facinus; neque enim cum iis facio qui epitheta per *δὲ* diiuncta esse putant. Item alterum adiectivum ad alterum referendum est Soph. Tr. 860:

ἁ δ᾽ ἀμφίπολος Κύπρις ἄναυδος φανερὰ
τῶνδ᾽ ἐφάνη πράκτωρ,

cf. ibid. 1262:

ἀνάπαυε βοήν, ὡς ἐπίχαρτον
τελέως ἀεκούσιον ἔργον.

§ 8.

De epithetis, quorum alterum accuratius dictum est.

Ab illa ratione qua adiectiva se invicem explicant non multum distat ea qua adiectiva ita cumulantur, ut alterum accuratius quid velit poeta significet. Apud Aeschylum Spt. 122 haec leguntur:

ὅ θ' ἵππιος ποντομέδων ἄναξ
ἰχθυβόλῳ μαχανᾷ Ποσειδᾶν,
ἐπίλυσιν φόβων ἐπίλυσιν δίδου,

ubi tamquam sublato priore adiectivo alterum ponitur idque quod magis etiam ad Neptunum spectat. Pariter apud Sophoclem O. C. 1070:

οἱ τὰν ἱππίαν τιμῶσιν Ἀθάναν
καὶ τὸν πόντιον γαιάοχον
Ῥέας φίλον υἱὸν

secundo epitheto accuratius significatur deus quam priore, quamquam etiamsi deesset γαιάοχον appareret de quanam dictum esset persona. Huc etiam pertinet Aesch. Eum. 179: μὴ καὶ λαβοῦσα πτηνὸν ἀργηστὴν ὄφιν, secundum enim ἀργηστὴν multo etiam clarius quam quod priore loco legitur πτηνὸν indicat cuius rei mentio facta sit. Itaque adiectiva quasi per gradationem dicta sunt, neque tamen ita ut alterius vis gravior sit altero, sed ita ut alterum altero clarius rem significet. —

Haud raro sic secundum substantivo adscribitur adiectivum audacis dictionis mitigandae gratia. Sic Aesch. Ag. 732: παλαίφατος δ' ἐν βροτοῖς γέρων λόγος τέτυκται . . . durities quae illis verbis γέρων λόγος inest altero praemisso epitheto παλαίφατος minus offendit. Insolitam verborum νυκτιπλάγκτων κελευμάτων coniunctionem Ch. 732 Aeschylus accuratius explicavit adiuncto secundo epitheto ὀρθίων. Haud secus accipiendum est Pind. frg. 88, 2: ἀλλ' ἁ Κοιογενὴς ὁπότ' ὠδίνεσσι θοαῖς ἀγχιτόκοις ἐπέβα νιν, ubi cum ὠδίνεσσι θοαῖς requirat explicationem additur ἀγχιτόκοις. — Pindari etiam haec sunt P. X, 6: Ἱπποκλέᾳ θέλοντες ἀγαγεῖν ἐπικωμίαν ἀνδρῶν κλυτὰν ὄπα. Audenter dictum est de hymno scilicet a pompa cantando ἀγαγεῖν κλυτὰν ὄπα. Sed quo facilius intellegeremus quomodo verba accipi vellet addidit poeta ἐπικωμίαν, cf. O. XIII, 29: δέξαι τέ οἱ στεφάνων ἐγκώμιον τεθμόν, τὸν ἄγει πεδίων ἐκ Πίσας, ubi prorsus eodem modo providit poeta ne moleste ferremus illud τεθμὸν i. e. hymnum ἄγει. —

Simili ratione poetae cumulaverunt epitheta diversi valoris, ut gradatio fieret. Sic interpretor Pind. O. I, 7:

μηδ' Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον αὐδάσομεν·
ὅθεν ὁ πολύφατος ὕμνος ἀμφιβάλλεται
σοφῶν μητίεσσι, κελαδεῖν
Κρόνου παῖδ' ἐς ἀφνεὰν ἱκομένους
μάκαιραν Ἱέρωνος ἑστίαν,

et Ibyc. 16: *Τοὺς — κόρους ἅλικας ἰσοπάλους* (sic Meinekius, libri *ἰσοκεφάλους*) *ἐνιγυίους*. Pariter intellegenda illa Sophoclis:

ὦ κοινὸν αὐτάδελφον Ἰσμήνης κάρα,

ubi miror quod haeserunt critici in adiectivo *κοινόν*, nam communis est Ismena sorori Antigonae et fratribus a Mercurio nondum ad inferos deductis. Coniecit Weckleinius *κλεινὸν* commotus opinor O. R. 1207: *ἰὼ κλεινὸν Οἰδίπου κάρα* et Eur. Phoen. 88: *ὦ κλεινὸν οἴκοις Ἀντιγόνη θάλος πατρί*. Hoc nemo negabit *κλεινὸν κάρα* sive quid simile dici posse, sed hoc tenendum est non ad omnes locos quadrare. Priore exemplo chorus regem appellat, altero praeceptor cum reverentia quadam Antigonam praedicat *κλεινήν*. Sed soror inepte Antigonam vocaret *κλεινήν*. Ex illis si quid effici posset, etiam alia afferri possent, ut Eurip. Phoen. 1070: *Οἰδίπου κλεινὴ δάμαρ* [*Ἰοκάστη*], loquitur autem nuntius.

§ 9.

De epithetis perpetuis.

Quod supra contendi poetas quo essent a dictione epica remotiores, eo magis cavisse ne unum substantivum complura haberet adiectiva, maxime apparet in parce usurpatis epithetis perpetuis. Homerus saepissime usus est epithetis quae per eminentiam ornantia dicuntur, quamquam in antiquioribus libris adiectiva magis ad res quae agebantur adsimulata esse videntur quam multi putant. Apud Theognidem talia inveniuntur: *ἰχθυόεντα περῶν πόντον ἐπ' ἀτρύγετον* (2481), *ἀθάνατοι μάκαρες θεοὶ* (759), apud Solonem *πόντου πολυκύμονος ἀτρυγέτοιο πυθμένα κινήσας* (12 [4], 19), alia. Sed paulatim hanc sibi scripserunt poetae legem ne ornarent dictionem adiectivis perpetuis. Hoc tamen etiam diligentissimi sibi permiserunt poetae ut numinibus adiectiva tralaticia quasi debita attribuerent. Dixit Pindarus frg. 30, 1:

Πρῶτον μὲν εὔβουλον Θέμιν οὐρανίαν

. . . .

Μοῖσαι ποτὶ κλίμακα σεμνὰν
ἄγον Οὐλύμπου,

nam *εὔβουλον* quasi debetur Thetidi. cf. O. XIII, 8: *χρύσεαι παῖδες εὐβούλου Θέμιτος*, I. VIII (VII) 34: *εὔβουλος Θέμις*. Typhona Pindarus constanter dixit *ἑκατοντακάρανον* sive *ἑκατογκεφάλαν*, itaque non haerendum in his O. IV, 7:

ἀλλ', ὦ Κρόνου παῖ, ὃς Αἴτναν ἔχεις
ἶπον ἀνεμόεσσαν ἑκατογκεφάλα Τυφῶνος ὀβρίμου

neque frg. 93, 1: *ἀλλ' οἷος ἄπλατον κεράϊζες θεῶν*
Τυφῶν' ἑκατοντακάρανον ἀνάγκᾳ,

nedum O. XIV, 10: *χρυσότοξον θέμεναι παρὰ Πύθιον Ἀπόλλωνα θρόνους.* Similia haec P. IX, 26:

κίχε νιν λέοντί ποτ' εὐρυφαρέτρας
ὀβρίμῳ μούναν παλαίοισαν
ἄτερ ἐγχέων ἑκάεργος Ἀπόλλων,

Simonid. 107, 3: *ἔνθα καλεῖται | ἁγνᾶς Ἀρτέμιδις τοξοφόρου τέμενος*, haec enim fere idem valent atque *ἁγνᾶς Ἀρτέμιδος Τοξοφόρου τ.* Quare nullam video difficultatem in verbis Simonidis (18): *Μαιάδος οὐρείας ἑλικοβλεφάρου παῖς*, nam *οὐρείας* quasi debitum est epitheton nymphae in montibus versanti. Maxime in invocatione curaverunt ne numina carerent epithetis debitis, ut dixit Arion: *Ὕψιστε θεῶν, πόντιε χρυσοτρίαινα Πόσειδον κτλ.*

His igitur exceptis poetae diligentes valde caverunt ne uterentur adiectivis cumulatis, quorum alterum esset epitheton perpetuum. Iam vero ubi usi sunt adiectivo, cuius vis cum creberrime cum substantivo coniungeretur debilitata erat, consuluerunt ut adiectivi vis sentiretur. Quod quidem effecerunt secundo addito eiusdem notionis adiectivo. Sic Pindarus N. X, 71: *Ζεὺς δ' ἐπ' Ἴδᾳ πυρφόρον πλᾶξε ψολόεντα κεραυνὸν* alterum epitheton *ψολόεντα* eam ob causam posuisse videtur, quod metuebat ne praeterirent audientes vel legentes *πυρφόρον*. Quod tam tritum atque usitatum est fulguris epitheton, ut fere coaluerit cum substantivo. Voluit autem poeta describere quid effecisset fulgur: ut cremarentur Lynceus et Idas (cf. Theocr. XXII, 211: *αὐτὸν δὲ φλογέῳ συνέφλεξε κεραυνῷ*). Hoc una voce *πυρφόρος* significare potuisset, si ei vis integra infuisset. Quoniam autem facile neglegi poterat *πυρφόρος*, alterum etiam adiectivum eiusdem fere significatus substantivo adiunxit idque

minus usitatum. Pergit autem Pindarus: *ἅμα δ' ἐκαίοντ' ἔρημοι.* Similis locus legitur Pind. N. IV, 16:

υἱὸν κελάδησε καλλίνικον
Κλεωναίου τ' ἀπ' ἀγῶνος ὅρμον στεφάνων
μέμψαντα καὶ λιπαρᾶν
εὐωνύμων ἀπ' Ἀθανᾶν . . . .

ubi epitheton *λιπαρὸς* cum saepissime cum Athenis coniungatur, tam arte cum substantivo cohaeret, ut vix vis eius sentiatur. Pindaro igitur aliud epitheton addendum erat, ut sentirent audientes laudari Athenas. Quamquam consuetudini a Pindaro usurpatae repugnat, quod hoc loco singulari laude effertur urbs, ubi Timocritus ille vicerat. Nam in omnibus locis similibus, dico eos quibus enumerat ubi vicerint laudati, tantum abest ut hac occasione utatur poeta ad laudandas urbes, ut contra usitatis adiectivis quae cuique attribui solent urbi utatur. Athenis vero etiam alibi singularem laudem tribuit Pindarus. Mihi quidem poeta etiam alia ex causa *εὐωνύμων* videtur addidisse. Si enim locum adiectivi *εὐωνύμων* quaevis alia verba tenerent, concentum inter *λιπαρᾶν* et *Ἀθανᾶν* intercedentem aegre ferremus. Cum autem sequatur alterum adiectivum, haec maxime sentimus coniuncta esse: *εὐωνύμων* et *Ἀθανᾶν*, ita concentus si non tollitur, tamen valde mitigatur. — Huc etiam pertinet Eurip. Alc. 445:

πολλά σε (Alcestim) *μουσοπόλοι*
μέλψουσι καθ' ἑπτάτονον τ' ὀρείαν
χέλυν ἔν τ' ἀλύροις κλείοντες ὕμνοις,
Σπάρτᾳ . . . .
λιπαραῖσί τ' ἐν ὀλβίαις Ἀθάναις,

nam probabile est voluisse poetam laudibus efferre urbem patriam. Id enim in deliciis habuerunt poetae Athenienses ut barbaros vel Graecos aliunde ortos loquentes facerent quae summo honori essent Athenis. Similiter explicanda sunt epitheta cumulata Eurip. Tr. 208:

τὰν κλεινὰν εἴθ' ἔλθοιμεν
Θησέως εὐδαίμονα χώραν,

ibid. 218: *τὰ δὲ δεύτερά μοι μετὰ τὰν ἱερὰν*
Θησέως ζαθέαν ἐλθεῖν χώραν.

Pariter dixit Simonides 119:

Σῶμα μὲν ἀλλοδαπὴ κεύθει κόνις, ἐν δέ σε πόντῳ,
Κλείσθενες, Εὔξεινῳ μοῖρ' ἔκιχεν θανάτου

πλαζόμενον· γλυκεροῦ δὲ μελίφρονος οἴκαδε νόστου
ἤμπλακες, οὐδ' ἵκευ Χῖον ἐς ἀμφιρύτην.

Ceterum iam Homerus videtur simili consilio dixisse η, 34:

νηυσὶ θοῇσιν τοί γε πεποιθότες ὠκείῃσιν
λαῖτμα μέγ' ἐκπέρωσιν, ἐπεί σφισι δῶκ' ἐνοσίχθων·
τῶν νέες ὠκεῖαι ὡς εἰ πτερὸν ἠὲ νόημα.

ubi si deesset illud *ὠκείῃσιν* nihil aliud dictum esset nisi Phaeaces navibus confidentes per mare vectos esse; intererat autem poetae dicere Phaeaces celeritati navium confisos esse. Eadem adiectivorum coniunctione usus est Sophocles Ai. 708:

νῦν, ὦ Ζεῦ, πάρα . . . . πελάσαι φάος
θοᾶν ὠκυάλων νεῶν.

§ 10.
De epithetis similiter incipientibus.

Restat ut de ea ratione exponam qua poetae cumulaverunt adiectiva, quae similiter incipiunt. Tum enim efficitur figura, quae ad anaphoram quae dicitur prope accedit. Qua arte cum tragici maxime usi sint, brevis ero. — Inveniuntur substantiva similiter sonantia e. g. Aesch. Eum. 322:

ἐπὶ δὲ τῷ τεθυμένῳ
τόδε μέλος, παρακοπά,
παραφορὰ φρενοδαλής,

ubi cum eadem fere notio utroque comprehendatur substantivo rhetorico consilio duplex positum est substantivum. Idem Aeschylus dixit Ag. 1448 Iovem *Δία παναίτιον πανεργέταν.* Fere nihil habent diversi adverbia iuxta posita Aesch. Spt. 278:

τοὶ μὲν γὰρ ποτὶ πύργους
πανδημεὶ πανομιλεὶ
στείχουσιν.

Itaque ne in eo quidem offendendum est, quod adiectiva quae iisdem incipiunt litteris iuxta ponuntur. Eiusdem fere significatus sunt quae sine vinculo coniunxit Aeschylus Ch. 149: *ἀπότροπον ἄγος ἀπεύχετον*, ibid. 575: *βλαστοῦσι καὶ πεδαίχμιοι λαμπάδες πεδάοροι.* Creberrime autem iuxta ponuntur epitheta, quae ab his syllabis incipiunt: *παν-*, *πολυ-*, *εὐ-*, *δυς-*, *ἀ-* i. e. *α* privativo quod dicitur. Dixit Aeschylus Ag. 942: *μαντιπολεῖ δ' ἀκέλευστος ἄμισθος ἀοιδά*, Ch. 50: *σέβας δ' ἄμαχον, ἀδάματον, ἀπόλεμον τὸ πρὶν*, Sophocles El. 492:

ἄλεκτρ᾽ ἄνυμφα γὰρ ἐπέβα μιαιφόνων
γάμων ἁμιλλήμαθ᾽ οἷσιν οὐ θέμις,

ibid. 851: *πανδύρτῳ πανθρήνῳ . . . αἰῶνι.* Saepissime ita coniunguntur adiectiva cum *α* privativo composita; quae haud raro ita continuantur, ut gradatio efficiatur. — Ceterum iam Homerus similia habet *δ*, 787:

ἡ δ᾽ ὑπερωίῳ αὖθι περίφρων Πηνελόπεια
κεῖτ᾽ ἄρ᾽ ἄσιτος ἄπαστος ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος.

Caput II.

De epithetis in complura substantiva distribuendis. Emendationes.

Satis iam apparere puto poetas non sine idonea causa uni substantivo complura adiunxisse adiectiva. Itaque Elmsleius non in universum contendere debebat perusitatam esse coniunctionem complurium adiectivorum, quae vinculo inter se non conexa essent. Quae enim protulit exempla probaturus Euripidem Med. 825 non scripsisse

ἱερᾶς χώρας ἀπορθήτου τ᾽ ἀποφερβόμενοι
κλεινοτάταν σοφίαν . . . .

sed *ἀπορθήτοι* magnam partem, ut vidimus, aliter comparata sunt. Itaque non est, cur negemus devitasse poetas epitheta accumulata.

Ex illa autem lege — nisi forte aptius dicimus artis praeceptum — certus quidam de quo nunc disputabimus ortus est poetarum usus dicendi. Ubi enim non multum intererat sententiae, utrum alterum substantivum — sive quod regit sive quod regitur — duo haberet epitheta, alterum nullum, an utrumque suum sibi haberet adiectivum, poetae semper dispertierunt epitheta. Attamen Elmsleius poetarum dictionem contraria lege astrictam esse arbitratus est; qui ad Med. 839: *καταπνεῦσαι μετρίας ἀνέμων ἡδυπνόους αὔρας* haec adnotavit: ‚Rom. A. B. D. Par. A ἡδυπνόους omittunt. Legitur in Rom. C et in A quidem, sed a recentiore manu.

Salvo metro abesse nequit. Nescio an operae pretium sit monere, Euripidem ἡδυπνόους[7]) dicere maluisse quam ἡδυπνόων, licet αὔρας alterum habeat adiectivum, ἀνέμων vero nullum. De hac re non eadem veterum sententia fuit quam recentiorum.' Sed exemplis allatis patebit errasse Elmsleium. Pind. O. VI, 90:

. . . ἐσσὶ γὰρ ἄγγελος ὀρθός,
ἠϋκόμων σκυτάλα Μοισᾶν, γλυκὺς κρατὴρ
ἀγαφθέγκτων ἀοιδᾶν,

nihil intererat sententiae, utrum γλυκὺς ad κρατὴρ referretur an ad ἀοιδᾶν. Nimirum ex uno exemplo nihil colligi potest; quare quam plurima afferenda sunt. — Poterat Pindarus duo in unum substantivum cumulare epitheta P. III, 6: θρέψεν ποτὲ τέκτονα νωδυνίας ἅμερον γυιαρκέος Ἀσκλαπιόν, I. IV (III) 89: κυβερνατῆρος οἰακοστρόφου γνώμᾳ πεπιθὼν πολυβούλῳ, frg. 166: Ἀνδροδάμαντα δ' ἐπεὶ Φῆρες δάεν ῥιπὰν μελιαδέος οἴνου, si modo Boeckhius recte coniecit Ἀνδροδάμαντα δ' pro ὁ δάμαν δ' codicum. Similia sunt P. I, 21: τᾶς (sc. Αἴτνας) ἐρεύγονται μὲν ἀπλάτου πυρὸς ἁγνοτάται | ἐκ μυχῶν παγαί, O. VI, 64: ἵκοντο δ' ὑψηλοῖο πέτραν ἀλίβατον Κρονίου, O. VI, 7: ἐπικύρσαις ἀφθόνων ἀστῶν ἐν ἱμερταῖς ἀοιδαῖς. Idem verborum ordo invenitur in loco a criticis iniuria sollicitato, Pind. I. IV (III), 18: νῦν δ' αὖ μετὰ χειμέριον ποικίλων μηνῶν ζόφον χθὼν ὥτε φοινικέοισιν ἄνθησεν ῥόδοις δαιμόνων βουλαῖς. Poterat scribi neglecta lege quam sibi de distribuendis epithetis scripserunt poetae χειμερίων. — Dixit Alcaeus 16: Βλήχρων ἀνέμων ἀχείμαντοι πνοαὶ, Anacreon c. 48: ἀπέκειρας δ' ἁπαλῆς κόμης ἄμωμον ἄνθος, Aeschylus Pr. 64: ἀδαμαντίνου νῦν σφηνὸς αὐθάδη γνάθον, ibid. 744: δυσχείμερόν γε πέλαγος ἀτηρᾶς δύης, ibid. 4:

— τόνδε πρὸς πέτραις
ὑψηλοκρήμνοις τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι
ἀδαμαντίνων δεσμῶν ἐν ἀρρήκτοις πέδαις[8]),

[7]) Modo adiectivo ἡδύπνοος verba sanari possent, certe scribendum esset ἡδυπνόων, sed locus corruptus, cf. Wilamow. Herm. XV, 500 sq.

[8]) Veram lectionem praebuit scholiasta Aristophaneus (ad Ran. 814), quam frustra in suspicionem vocavit Wieselerus in commentatione de nonnullis locis Aeschyleis p. 1 sq. Qui codicum auctoritatem sequi maluit scribens ἀδαμαντίναις πέδαις ἐν ἀρρήκτοις πέτραις. Apparet autem quomodo corrupta lectio in codices inrepserit: ex versu antecedenti deprompsit librarius vocem similem πέτραις. Quo facto reliqua quoque v. 6 verba permutanda erant.

Sophocles Antig. 1013: *φθίνοντ᾽ ἀσήμων ὀργίων μαντεύματα*, ibid. 424: *κενῆς εὐνῆς νεοσσῶν ὀρφανὸν — λέχος*, Ai. 859: *ὦ φέγγος, ὦ γῆς ἱερὸν οἰκείας πέδον Σαλαμῖνος.* Euripidis haec sunt, Bacch. 661: *ἵν᾽ οὔποτε | λευκῆς χιόνος ἀνεῖσαν εὐαγεῖς βολαί*, Ion. 18: *κἀκτίθησιν ὡς θανούμενον κοίλης ἐν ἀντίπηγος εὐτρόχῳ κύκλῳ.* Deinde uni substantivo adscribere poterat epitheta sententia non mutata Hel. 400: *ἐγὼ δ᾽ ἐπ᾽ οἶδμα πόντιον γλαυκῆς ἁλὸς | τλήμων ἀλῶμαι* . . . ., I. T. 1100:

δάφναν τ᾽ εὐερνέα καὶ
γλαυκᾶς θαλλὸν ἱρὸν ἐλαίας,

I. A. 164: *ἔμολον ἀμφὶ παρακτίαν*
ψάμαθον Αὐλίδος ἐναλίας.

Talia cum permulta afferri possint exempla cumque desint his contraria[9], dubitari nequit quin non casu sed certa ratione verborum ordo ita institutus sit ut quodque substantivum suum sibi haberet epitheton. Quid? quod ne ab insolita quidem dictione abhorruerunt poetae, ne duo in unum substantivum cumularentur adiectiva. Sic apud Pindarum O. XIII, 98:

ἀλαθής τέ μοι
εἷς ὅρκος ἐπέσσεται ἑξηκοντάκι δὴ ἀμφοτέρωθεν
ἁδύγλωσσος βοὰ κάρυκος ἐσλοῦ

ἁδύγλωσσος, quod ad praeconem pertinet, ad vocem relatum est, nimirum ne nomen alterum epitheto careret. Multo etiam audacius dixit Sophocles Ai. 7:

. . . *εὖ δέ σ᾽ ἐκφέρει*
κυνὸς Λακαίνης ὥς τις εὔρινος βάσις,

quod in prosa unusquisque diceret: *ἡ κυνὸς εὐρίνου Λακαίνης βάσις*, sed Sophocles quod ipsius canis proprium est ad ingressum eius transtulit. Sane audentissima est translatio, sed ratio aperta; si enim *εὔρινος* ad *κυνὸς* relatum esset, *κυνὸς* duo haberet epitheta eaque quae fere idem valent, *βάσις* nullum. Quod vitavit Sophocles maluitque audenter dicere quam aures offendere. Sophoclis etiam haec sunt, Ai. 1185:

τὰν ἄπαυστον αἰὲν ἐμοὶ δορυσσοήτων
μόχθων ἄταν ἐπάγων,

ubi *ἄπαυστον* proprie ad *μόχθων* referendum erat; dici enim potest *ἄπαυστος ἄτα*, sed *ἄπαυστος αἰὲν ἄτα* audenter dictum est. Eadem autem ratione legitur *τὰν ἄπαυστον μόχθων ἄταν*

[9]) perpauca his contraria exstant; de duobus locis infra agetur.

pro *τὰν ἀπαύστων μόχθων ἄταν*, qua Sophocles alia de causa scripsit El. 165: *τὸν ἀνήνυτον οἶτον ἔχουσα κακῶν* pro *τὸν ἀνηνύτων οἶτον ἔχουσα κακῶν*. — Euripides Ion. 112: *ὦ νεηθαλὲς ὦ | καλλίστας προπόλευμα δάφνας*, quod adscribere debebat voci *δάφνας* adscripsit voci *προπόλευμα*, ne *δάφνας* utrumque haberet adiectivum. Item Suppl. 48: *ῥυσὰ δὲ σαρκῶν κολιῶν καταδρύμματα χειρῶν* . . . . *ῥυσὰ* ex accurata cogitandi ratione pertinet ad *σαρκῶν*. — Similia sunt haec Simonidis 183, 8: *ἀγλαὸν ὡραίων βότρυν ἀπ' ἀκρεμόνων*. Sed rem certam non amplius tractabo.

Sequitur ut pauca de positu substantivorum et epithetorum exponam. Quae triplici modo collocari possunt. Ac primum quidem alterum substantivum una cum epitheto ponitur post alterum substantivum et epitheton, sicut Alc. 16: *Βληχρῶν ἀνέμων ἀχείμαντοι πνοαί*, deinde substantivum et epitheton circumcluduntur substantivo et epitheto, sicut: *τὰν ἄπαυστον αἰὲν ἐμοὶ δορυσσοήτων μόχθων ἄταν ἐπάγων*, denique inter substantivum et epitheton interponitur substantivum vel epitheton, sicut Pind. O. I, 42: *ὕπατον εὐρυτίμου ποτὶ δῶμα Διὸς* et N. II, 4: *Νεμεαίου | ἐν πολυϋμνήτῳ Διὸς ἄλσει*. In his usurpandis figuris poetae valde inter se differunt. Qua enim poetae antiquiores parce usi sunt — quam tertio loco enumeravi — ea apud poetas recentiores inprimis Latinos creberrima invenitur. Ubi non solum genetivus alterius substantivi sed alii etiam casus hoc ordine cum altero substantivo coniunguntur. Sic Catullus e. g. 68, 7: nec veterum dulci scriptorum carmine Musae oblectant, ibid. 60: per medium densi transit iter populi, ibid. 29: frigida deserto tepefactet membra cubili, Horat. c. I, 17, 6: quaerunt — thyma deviae | olentis uxores mariti, I, 33, 10: invisi horrida Taenari | sedes, I, 20, 1: vile potabis modicis Sabinum cantharis, epist. III, 147: notum si callida verbum | reddiderit iunctura novum; alia permulta. —

Iam vero, ut ad Graecos redeam, nonnulla illi legi, quam de distribuendis epithetis sibi scripserunt poetae, videntur repugnare. Quorum plurima quomodo intellegenda sint iam supra explicavi, ubi de cumulandis epithetis generaliter ut ita dicam exposui. Unus locus primo obtutu explicari nequire videtur. Legitur Eurip. Hel. 1501:

γλαυκὸν ἐπ' οἶδμ' ἅλιον
κυανόχροά τε κυμάτων
ῥόθια πολιὰ θαλάσσας.

Sed est, cur substantivum *κυμάτων* epitheto careat; apparet enim Euripidem quam plurimas ponere voluisse syllabas breves. Quare ut longam genetivi syllabam vitaret utrumque adiectivum uni adscripsit substantivo. Itaque hac exceptione cum explicari possit stabilitur praeceptum. Similiter ordinem verborum metri causa mutavit Sophocles El. 165:

ἀνύμφευτος αἰὲν οἰχνῶ,
δάκρυσι μυδαλέα τὸν ἀνήνυτον
οἶτον ἔχουσα κακῶν· ὁ δὲ λάθεται
ὧν τ' ἔπαθ' ὧν τ' ἐδάη. τί γὰρ οὐκ ἐμοὶ
ἔρχεται ἀγγελίας ἀπατώμενον;

neque enim *ἀνηνύτων* inter verba dactylica scribi poterat; voluit autem Sophocles puros efferre dactylos, quod unusquisque qui sequentes audiverit versus intelleget. — Unum etiam locum qui explicationem desiderat afferam. Dixit Sophocles Ai. 53:

καὶ πρός τε ποίμνας ἐκτρέπω σύμμικτά τε
λείας ἄδαστα βουκόλων φρουρήματα.

Quae sic interpretor. Minerva Ulixi narrat quo dolo periculum imminens ab eo prohibuerit. Aiacis enim mentem se turbavisse, ut in greges stricto gladio incideret eosque obtruncaret. Averti, inquit, eum et in oves et in boves illis admixtos. Ne quis putet gregem mixtum dici, quod equi inter boves fuerint, adductus v. 231: *συγκατακτὰς — βοτὰ καὶ βοτῆρας ἱππονώμας.* neque enim haec ex chori sententia dicta sunt, sed ex Danaorum, quos famae — quippe quae omnia in maius extollit — fidem praestituros esse putat. Itaque *σύμμικτα* illic est participii loco, neque quisquam iure in eo haerebit quod *λείας* adiectivo caret. —

Iam vero librarii cum leges quas sibi scripserunt poetae in cumulandis epithetis non agnovissent, non nullis locis veram lectionem corruperunt. Non pauca, quoniam quae vitium traxerunt pluribus de causis culpanda esse solent, iam alia de causa correcta sunt. Ita Pind. P. XI, 47: *ἀγώνων πολυφάτων | ἔσχον θοὰν ἀκτῖνα σὺν ἵπποις* codices variant inter *πολυφάτων* et *πολύφατον.* Recte scripserunt editores *πολυφάτων;* ceterum probari nequit quod cum Hartungio voluit Bergkius *θοαῖς.* Nam *σὺν ἵπποις* cum quasi pro formula sit, epitheto carere potest, *ἀκτῖνα* non potest, cf. I. III, 60:

. . . ἐπὶ χθόνα καὶ διὰ πόντον βέβακεν
ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν ἄσβεστος αἰεί. —

I. II, 7: *γλυκεῖαι μελίφθογγον ποτὶ Τερψιχόρας . . . . . μαλαθακόφωνοι ἀοιδαὶ* iam Heynius restituit *μελιφθόγγου* pro *μελίφθογγοι* librorum. — Eurip. H. f. 364:

τάν τ᾽ ὀρεινόμον ἀγρίων
Κενταύρων ποτὲ γένναν
ἔστρωσεν τόξοις φονίοις

Canterus emendavit illud *ὀρεινόμον*, cum codex *ὀρεινόμων* exhibeat. Sic versus illi Sophoclis Ai. 134:

Τελαμώνιε παῖ, τῆς ἀμφιρύτου
Σαλαμῖνος ἔχων βάθρον ἀγχιάλου

non ea medicina qua voluit Bergkius sanandi sunt, qui *τῆς ἀμφιρύτου* cancellis saepsit tamquam glossema adscriptum supra *ἀγχιάλου*, sed cum Bothio et Thierschio corrigendum est *βάθρον ἀγχίαλον*, ut eadem exstet structura atque Eur. I. A. 164:

ἔμολον ἀμφὶ παρακτίαν
ψάμαθον Αὐλίδος ἐναλίας.

Bacchyl. 40 vulgo tradebatur:

Ἑκάτα, δᾳδοφόρου Νυκτὸς μελανοκόλπου θύγατερ,

duplex autem illud epitheton Bacchylidi ut poetae diligentissimo abiudicandum esset, etiamsi nulla variae lectionis vestigia exstarent. Exhibet autem codex Laurentianus *δαιδοφόρε*, idemque dedit Ursinus. — De nonnullis locis in suspectum vocatis adhuc dubitatur, sicut de Pind. I. IV (III) 55:

ὃς Οὔλυμπόνδ᾽ ἔβα γαίας τε πάσας
καὶ βαθυκρήμνου πολιᾶς ἁλὸς ἐξευρὼν θέναρ,

ubi miror quod non receperunt editores coniecturam Heynii *βαθύκρημνον*. Primum enim valde in eo haerendum est quod *ἁλὸς* duo habet epitheta, *θέναρ* nullum. Neque enim quod sibi permiserunt Homerus Hesiodus quique eorum secuti sunt dictionem idem sibi indulsit Pindarus. Deinde si recte referretur *βαθύκρημνος* ad *ἁλὸς*, adiectivum ita intellegendum esset ut fere idem significaret atque profundus (sic etiam scholiasta: *τῆς πολυβαθοῦς θαλάσσης*), neque enim proprie habet mare *κρημνούς*. Sed apparet adiectivum *βαθύκρημνος* illic non solum exornandi substantivi causa positum esse, sed ad ipsam rem de qua agitur spectare, ad investigationem imorum maris, quae sunt proclivia; itaque etiam sensus desiderat *βαθύκρημνον*. — Pindari etiam haec sunt, O. XIII, 87:

σὺν δὲ κείνῳ καί ποτ᾽ Ἀμαζονίδων
αἰθέρος ψυχρᾶς ἀπὸ κόλπων ἐρήμοι
τοξόταν βάλλων γυναικεῖον στρατὸν
. . . . ἔπεφνεν,

quod iam Hermannus correxit in ἐρήμων. P. IX, 106: ἔβαν — Ἴρασα, πρὸς πόλιν Ἀνταίου, μετὰ καλλίκομον μναστῆρες ἀγακλέα κούραν molestum est quod vulgo legebatur Ἀνταίου μετὰ κ. ἀ. κ., sanavit locum Bergkius Ἀνταίου cum scholiasta ad πόλιν referens. Aluis locus iam emendatus exstat Aesch. Pr. 374:

τοιόνδε Τυφὼς ἐξαναζέσει χόλον
θερμοῖς ἀπλάτου βέλεσι πυρπνόου ζάλης,

ubi quod traditur θερμῆς dudum correctum est. Quod vero Hermannus restituere voluit θερμῆς, cum fortius esset, etiam eam ob causam probari non potest, quod incredibile est Aeschylum aut ullum alium poetam diligentem tela ab Aetna missa simplici voce dicturum fuisse βέλη. Vehementer igitur requirit βέλη epitheton. Nimirum in duplici adiectivo ἀπλάτου et πυρπνόου nemo haerebit, cum πυρπνόου necessarium sit ad definiendam ζάλης naturam. — Luculenta coniectura emendavit ex illa lege, de qua exposuimus, Kaibelius Theocriti Thalysiorum v. 15:

ἐκ μὲν γὰρ λαιοῖο δασύτριχος εἶχε τράγοιο
κνακὸν δέρμ᾽ ὤμοιο,

ubi adhuc legebatur λασίοιο.

Iam vero ipse pauca emendare conabor. — Apud Simonidem 43 vulgo tradebatur:

Σχέτλιε παῖ δολόμηδες Ἀφροδίτας,
τὸν Ἄρει δολομαχάνῳ τέκεν,

ubi non infitior Cupidinem dici posse σχέτλιος δολομήδης Ἔρως, quae ita accipi possunt, ut Cupido propter astutiam appelletur σχέτλιος. At arti Simonideae valde repugnaret, si substantivum regens duobus exornatum esset epithetis, id quod regitur nullo. Neque minus valet quod sententia displicet. Potius haec videtur obversata esse poetae sententia: dolosus es ex dolosis natus, sive timendus es ex timendis natus. Tale quid etiam Bergkius voluisse videtur, qui sic scripsit:

Σχέτλιε παῖ, δολόμητις Ἀφροδίτα
τὸν Ἄρει κακομαχάνῳ τέκεν,

sed valde displicet positus verborum, cum pronomen relativum a voce ad quam referendum est aliis verbis interpositis adeo separatum sit. Puto autem locum leniore medela sanari posse:

Σχέτλιε παῖ δολομήδεος Ἀφροδίτας,
τὸν Ἄρει δολομαχάνῳ τέκεν.

Ita dignus poeta efficitur sensus: timendus es, Cupido; nimirum mater paterque timendi. Fortasse etiam hoc contra Bergkii coniecturam proferri potest, quod illis versibus carmen incepisse videtur. Brevis autem invocatio *σχέτλιε παῖ* ferri nequiret, nisi verbis antecedentibus Cupidinis mentio facta esset.

Sapphus frg. 54 apud Hephaestionem ita legitur:

Κρῆσσαί νύ ποτ᾽ ὦδ᾽ ἐμμελέως πόδεσσιν
ὤρχεῦντ᾽ ἀπαλοῖς ἀμφ᾽ ἐρόεντα βῶμον
πόας τέρεν ἄνθος μάλακον μάτεισαι.

Vehementer offendit quod substantivum regens duobus exornatum est adiectivis, id quod regitur nullo. Accedit quod epitheta eiusdem fere significatus sunt. Itaque puto illis Sapphus versibus satis fieri nequire nisi mutato *μάλακον* in *μαλάκας*. — Pindarus N. V, 6 haec habet:

οὔπω γένυσι φαίνων τέρειναν ματέρ᾽ οἰνάνθας ὀπώραν,

quae si stare possent ita accipienda essent ut referretur *τέρειναν* ad *ὀπώραν*. Sed unusquisque sentiet quam frigide per appositionem adscriptum sit *ματέρ᾽ οἰνάνθας*. Neque tamen cum Bergkio puto Pindarum fuisse culpandum, si *ματέρα οἰνάνθας ὀπώραν* dixisset, cum potius *οἰνάνθαν ὀπώραν* dici deberet. Omnia autem bene stare possunt mutato *τέρειναν* in *τερείνας*. Ceterum vitiosum foret *ματέρ᾽* cum Bergkio accipere pro *ματέρι*. — Nonnumquam Bergkius in locis ubi duplex invenitur epitheton haesit, neque tamen quod complurium adiectivorum coniunctionem non ferendam esse putaret sed aliis de causis haesisse videtur. Sic in adnotatione critica ad Pind. I. V (IV), 39:

λέγε, τίνες Κύκνον, τίνες Ἕκτορα πέφνον,
καὶ στράταρχον Αἰθιόπων ἄφοβον
Μέμνονα χαλκοάραν

eam professus est sententiam fortasse scribendum esse *χαλκοαρᾶν*. Cogitari potest Bergkium eam maxime ob rem Aethiopes epitheto exornare voluisse, quod Pindarus voce *στράταρχον* animum audientium ad exercitum Memnonis attendisset. Nam quoniam adeo obversatur Aethiopum cogitatio, aequom est etiam illos exornari epitheto. Ad hanc causam si accedit quod Pindarus sibi omnino non permisit duplex epitheton[10]) sine idonea causa,

[10]) nisi forte putas *ἄφοβον* pertinere ad *στράταρχον*, *χαλκοάραν* ad *Μέμνονα*.

valde probabile est genuinam lectionem esse χαλκοαρᾶν. Alius locus cuius Bergkius veram scripturam attigit legitur Pind. P. V, 120:

. . . . μὴ φθινοπωρὶς ἀνέμων
χειμερία κατὰ πνοὰ δαμαλίζοι χρόνον,

adnotavit enim Bergkius: ‚malim χειμερίων, quemadmodum haud raro in clausulis vocabulorum apud Pindarum peccaverunt antiqui librarii.' Verissimum mihi videtur illud esse χειμερίων, neque enim ferri posset quod πνοὰ duo habet epitheta eiusdem fere significatus. Ceterum etiam hoc aliquantulum valet quod scholiasta unum legisse videtur epitheton voci πνοὰ adiunctum; qui sic interpretatus est: καθάπερ ὑπὸ φθινοπώρου πνοῆς τὰ φύλλα κεῖται ἐπὶ γῆς τῶν δένδρων. Neque pro nihilo habendum est quod mutato χειμερία in χειμερίων molestum sublatum est homoeoteleuton quod dicitur: χειμερία κατὰ πνοὰ. Pindarum autem diligenter cavisse ne vocabula in easdem litteras exeuntia iuxta poneret, eo maxime apparet, quod quibusdam adiectivis modo duos modo tres tribuit exitus syllabas pariter sonantes devitandi causa. Qui dixit O. I. 6 ἐρήμας δι' αἰθέρος, sed P. IV, 26 γαίας ἐρήμου, N. IX, 44 αἰὼν ἁμέρα, sed N. VIII, 13 ἁμέροις ἀνάγκαις (si modo ita scribendum), P. III, 100 ἀθανάτα — Θέμις, sed frg. 121, 3 ἀθανάτοις τιμαῖς. O. VI, 59 dixit Δάλου θεοδμάτας, I. VI, 11 θεοδμάτους ἀρετὰς et P. I, 61 θεοδμάτῳ σὺν ἐλευθερίᾳ (cf. P. XII, 3 ἐΰδματον κολώναν). I. V, 19 legitur εὔανδρόν τε καὶ ναυσικλυτὰν, frg. 1 κλεινὰ δὲ καὶ ναυσικλυτὸς | Αἴγινα. Adiectivo ἀμφίρυτος et διαπρύσιος Pindarus aperta causa tres dedit exitus. Dixit enim N. IV, 51: ἀπείρῳ διαπρυσίᾳ, I. I, 8: ἐν Κέῳ ἀμφιρύτᾳ. Adiectivum φοίνιος non habet formam femininam I. IV (III), 53: ἀλκὰν φοίνιον. —

Alium Pindari locum correxit Bergkius. N. VI, 43: δασκίοις Φλιοῦντος ὑπ' ὠγυγίοι' (pro ὠγυγίοις) ὄρεσιν, attamen non mutavit lectionem traditam, quod Φλιοῦντος vacaret epitheto, sed quod nemo umquam Graecorum poetarum montes dixisset antiquos. — Non nulla mutanda interpunctione sanari possunt. Sic legitur Pind. O. XI (X) 1 sqq.:

Ἔστιν ἀνθρώποις ἀνέμων ὅτι πλεῖστα
χρῆσις· ἔστιν δ' οὐρανίων ὑδάτων
ὀμβρίων, παίδων νεφέλας,

interpungendum *οὐρανίων ὑδάτων, ὀμβρίων παίδων νεφέλας.* Pind. O. XIII, 3:

> *. . . . γνώσομαι*
> *τὰν ὀλβίαν Κόρινθον, Ἰσθμίου*
> *πρόθυρον Ποτιδᾶνος, ἀγλαόκουρον*

deleto commate post *Ποτιδᾶνος* posito verba mihi apte procedere videntur. Accedit quod etiam scholiasta verba ita intellexisse videtur. Qui primos illius hymni versus sic enarrat: *Τρισολυμπιονίκην τὸν οἶκον ἐπαινῶν τοῦ Ξενοφῶντος τὸν τρὶς ἐν Ὀλυμπίᾳ νενικηκότα, τὸν πρᾶον τοῖς πολίταις, τοῖς ξένοις δὲ θεράποντα, ἀντὶ τοῦ θεραπευτὴν, γνώσομαι ἀντὶ τοῦ εἰς ἀνάμνησιν ἀνάξω τὴν Κόρινθον τὴν πατρίδα τοῦ Ξενοφῶντος τὴν μακαρίαν, τὸ πρόθυρον τῆς Πελοποννήσου δηλονότι τὸ λαμπροὺς ἔχον νέους, τὸ τοῦ Ἰσθμίου Ποσειδῶνος* . . . . Integrum exscripsi locum, ut probarem scholiastam ad verbum explicantem versus Pindari ita legisse verba ut protulit. Alter scholiasta isque vetustior *ἀγλαόκουρον* ad *Κόρινθον* rettulisse videtur. Sed hoc dubitanter contendo, cum minus diligenter ille versus Pindari interpretatus sit; quod comparatis duobus scholiis satis apparebit. Scripsit enim scholiasta ille: *τὸν τρισολυμπιονίκην οἶκον ἐπαινῶν τὸν πρᾶον μὲν πρὸς τοὺς ξένους εἰς γνῶσιν ἄξω, καὶ ὑμνήσω διὰ τούτων καί τὴν εὐδαίμονα Κόρινθον τὴν τοῦ Ἰσθμίου Ποσειδῶνος οὖσαν προπύλαιον καὶ οἰκητήριον, ἥτις ἀγλαοὺς κούρους καὶ ἄνδρας ἔχει· ἀγλαόκουρον γὰρ τὴν εὔανδρον λέγει.* Ubi cogitari potest scholiastam *ἀγλαόκουρον* ad *Κόρινθον* rettulisse *κατὰ σύνεσιν.* — Pindari etiam haec sunt, O. VII, 13:

> *καὶ νῦν ὑπ' ἀμφοτέρων σὺν Διαγόρᾳ κατέβαν, τὰν ποντίαν*
> *ὑμνέων παῖδ' Ἀφροδίτας, Ἀελίοιό τε νύμφαν, Ῥόδον,*
> *εὐθυμάχαν ὄφρα πελώριον ἄνδρα . . .*
> *αἰνέσω . . .*

ubi eo magis haereo quod video etiam scholiastam (eum tamen recentiorem) dubitasse, ad quamnam vocem referendum esset *εὐθυμάχαν.* Haec enim adnotavit: *τὸ δὲ εὐθυμάχαν ἢ πρὸς τὸ Ῥόδον νόει, ὡς καὶ ὄπιθεν ἔφη τὸ Θήβαν πλάξιππον* (O. VI, 85) *ἢ πρὸς τὸ ἄνδρα.* Puto igitur *εὐθυμάχαν* pertinere ad Rhodum insulam vel potius ad incolas insulae, ut *μετονυμικῶς* dictum sit *Ῥόδον.* — Unus mihi Callimachi locus simili ratione videtur corrigendus esse, Dian. 189:

> *ἔξοχα δ' ἀλλάων Γορτύνιδα φίλαο νύμφην,*
> *ἐλλοφόνον Βριτόμαρτιν ἐΰσκοπον,*

quae eam maxime ob causam desiderant emendationem, quod duobus illis epithetis eadem fere cogitatio excitatur. Verba autem recte apteque procedunt translato commate post *ἐλλοφόνον*. Ceterum nescio an etiam id aliquantulum valeat, quod Callimachus in priore versu nimis in incerto reliquit quamnam memorare vellet nympham. Coniunctis autem illis verbis *Γορτύνιδα φίλαο νύμφην ἐλλοφόνον* minus dubitamus quam appellaturus sit poeta nympham. — In alium locum mihi suspectum nihil probabile inveni; haesi enim in Pind. P. IV, 249:

κτεῖνε μὲν γλαυκῶπα τέχναις ποικιλόνωτον ὄφιν,
ὦ 'ρκεσίλα, κλέψεν τε Μήδειαν σὺν αὐτᾷ, τὰν Πελίαο φόνον,

neque enim video qui iuxta poni potuerint *γλαυκῶπα* et *ποικιλόνωτον*. Sed fortasse emendandi viam ostendere possum. Magna enim est quaestio de verbis *σὺν αὐτᾷ*. Scholiasta sic interpretatus est: *σὺν αὐτῇ, σὺν τῇ Μηδείᾳ θελούσῃ καὶ ἐνεργούσῃ, ὅπερ ἔνιοι μὴ νοοῦντες μεταγράφουσιν σὺν αὐτῷ τῷ δέρει.* Hanc interpretationem a scholiasta spretam adoptavit Bergkius: ‚Grammaticus iste, quamvis vitium procurare nesciverit, tamen intellexit, quid instituta sententia requirat: nam Pindarus quamvis capita tantum rerum summatim perstringeret, aureum certe vellus nullo pacto hic silentio praetermittere debebat.' His Bergkii verbis totus accedo, neque tamen coniecturam eius probo *σὺν αὐάτῳ*. Ut Bergkio videtur mihi scriptura antiquitus tradita fuisse *σὺν αὐτῷ*. Vocem autem ad quam referendum sit *αὐτῷ* puto latere in altero vocis *ὄφιν* epitheto, in *ποικιλόνωτον*: *κῶας ἑλὼν* sive quid simile; neque enim verba poetae restituere possum. —

Iam duo afferam locos, qui mihi ex illa lege de qua omnis est quaestio esse servandi videntur. Alter invenitur Pind. I. III, 11:

ἐν βάσσαισιν Ἰσθμοῦ δεξαμένῳ στεφάνους, τὰ δὲ κοίλᾳ λέοντος
ἐν βαθυστέρνου νάπᾳ κάρυξε Θήβαν ἱπποδρομίᾳ κρατέων,

ubi Bergkius scholiastam sequi maluit, qui nisi forte perperam intellexit verba Pindari legit *βαθυστέρνῳ*. At talis ordo verborum vehementer repugnaret camenae Pindaricae. Praeterea *χθὼν* (N. IX, 25) vel *αἶα* dici possunt *βαθύστερνος* (cf. *εὐρύκολπος* N. VII, 33), sed nescio quo iure *νάπα* dici possit *βαθύστερνος*. Itaque servanda est lectio tradita; neque enim quisquam ignorat Pindarum in collocandis verbis magnam sibi indulsisse licentiam, cf. O. III, 34:

ἀντιθέοισι νίσεται | σὺν βαθυζώνου διδύμοις παισὶ Λήδας.

Alter locus legitur Pind. N. V, 34:

κατένευσέν τέ οἱ ὀρσινεφὴς ἐξ οὐρανοῦ
Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεύς, ὥστ᾽ ἐν τάχει
ποντίαν χρυσαλακάτων τινὰ Νηρεΐδων πράξειν ἄκοιτιν.

Bergkius cum Heynio *ποντιαν* ad *Νηρεΐδων* rettulit; iniuria, neque enim verisimile Pindarum epitheta non in utrumque substantivum dispertiturum fuisse.

Iam vero subsistamus. Satis enim demonstrasse mihi videor poetas in cumulandis epithetis certas quasdam sibi scripsisse leges. Neque tamen contendo me omnia quae ad hanc rem pertinent satis accurate tractavisse. satis beatus, si mihi contigerit ut viris doctis de eadem re disserturis non inutile parasse instrumentum iudicer.

INDEX LOCORUM.

VITA.

Natus sum Ernestus Gustavus Ludovicus Rickmann Lohmensis a. d. XIII Kal. Maias a. h. s. LVII patre Ernesto matre Augusta e gente Schroederiana, quos adhuc vivos debita colo pietate. Fidei addictus sum evangelicae. Primus ipse pater me docuit. Tum annos natus XII in gymnasium Gustroviense, quod Raspio floret rectore, receptus sum. Ubi per annos VIII imbutus litteris maturitatis testimonium adeptus sum, ut me studiis philologicis traderem.

Petivi deinceps academias Erlangensem Lipsiensem Berolinensem Rostochiensem, in unaquaque bina semestria moraturus. Atque Erlangiae eodem tempore stipendia merui. Lipsiae audivi viros illustrissimos Ludovicum Lange, Georgium Curtium, Windisch, Zarncke, Ribbeck. Deinde professorum Berolinensium scholis delectatus sum Vahleni, Adolphi Kirchhoff, Ernesti Curtii, de Treitschke, Muellenhoff, Paulseni. Vahleni societati philologicae per sex menses adscriptus fui. Muellenhoffii benignitati mihi contigit, ut exercitationibus germanicis per totidem menses interessem. Denique postquam per ter sex menses Hangelsbergii duos pueros elementa sermonis latini alia edocui, in patriam reversus Rostochii usus sum praeceptoribus doctissimis Kaibelio, Henrico de Stein, Reinholdo Bechstein, Schirrmachero. Sodalis fui per duo semestria seminarii philologici quod priore semestri florebat auspiciis Fritschii et Kaibelii, altero ab uno regebatur Kaibelio, per todidemque semestria sodalis fui seminarii germanici cui praeest Reinholdus Bechstein.

Quibus viris omnibus debitas ex animo habeo gratias, maximas autem Kaibelio qui me etiam in his adiuvit studiis.